7235

DE EPISTULIS A CICERONE POST REDITUM USQUE AD FINEM ANNI A. V. C. 700 DATIS QUAESTIONES CHRONOLOGICAE.

DISSERTATIO INAUGURALIS PHILOLOGICA

QUAM

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

AB AMPLISSIMO

PHILOSOPHORUM ORDINE LIPSIENSI

RITE IMPETRANDOS

SCRIPSIT

AUGUSTUS AEMILIUS KOERNER

LENGENFELDENSIS.

MISNIAE,

TYPIS C. E. KLINKICHTII ET FIL.

MDCCCLXXXV.

LUDOVICO LANGIO

S.

Conanti mihi scribere quaestiones chronologicas ad Ciceronis epistulas pertinentes non videor laborem suscepisse, cuius opus sit reddere rationem, praesertim cum vir doctissimus, O. E. Schmidtius,[1]) pluribus verbis nuperrime exposuerit, quam necessaria esset homini in historia diligenti uniuscuiusque epistulae conscriptae temporis notatio. ac cum ante maxime epistulis post Caesaris mortem scriptis opera esset navata,[2]) nuper Lud. Mollius[3]) et Guil. Sternkopfius[4]) annorum 703—705 a. u. c. litteras tractaverunt. quae cum ita essent, circumspicienti mihi epistulae a Cicerone post reditum usque ad finem anni a.u.c. 700 scriptae dignae videbantur, de quibus accuratius disputarem, cum epistulae librorum ad Atticum IV et ad Quintum fratrem II et III quasi unum conficerent corpus, cui litterae aliis viris datae essent inserendae. in scribendi autem ratione O. E. Schmidtii sequar dissertationem,[5]) et ita quidem ut hominum doctorum de uniuscuiusque epistulae tempore sententias praemittam, ne commemorandis eis ac refutandis disputatio nostra fiat verbosior aut obscurior.

Haec fere erant, quae praemonerem.

1) Neue Jahrb. f. Philol. u. Paed. CXXIX (1884) p. 331 sq.

2) cf. Edm. Ruete: die Correspondenz Cic. in den Jahren 44 u. 43, p. 5. O. E. Schmidt.: Jahrb. f. class. Philol. Supplbd. XIII (1884) p. 665 adn. 2 et l. l.

3) de temporibus epist. Tullianarum quaestiones selectae, Berol. 1883.

4) quaestiones chronologicae de rebus a Cicerone inde a tradita Cilicia provincia usque ad relictam Italiam gestis deque epistulis intra illud tempus (A. 704 et 705) datis acceptisve, Marburg. 1884.

5) de epistulis et a Cassio et ad Cassium post Caesarem occisum datis quaestiones chronologicae, Lips. 1877.

A. a. u. c. 697 (= a. C. 57).

Ep. ad. Att. IV. 1.

Schuetzius[1]: scr. Romae circa Id. Sept. a. u. c. 696.
Gruber[2]: scr. post VIII. Id. Sept. et quidem statim, cf. ep. sequ. in.
Suepfle[3]: scr. Romae medio mense Sept. a. u. c. 697.
Frey[4]: der Brief ist im Sept. 57 in Rom geschrieben.
Baiter: } scr. Romae medio mense Sept. a. u. c. 697.
Wesenbergius: }
Hofmannus[5]: der Brief ist in Rom geschrieben Mitte Sept. 57.

Gruber cum hanc epistulam statim post VIII. Id. Sept. scriptam censeat, me habet plane assentientem, quod quae ea continentur usque ad a. d. VIII. Id. facta esse satis apertis verbis narrantur. ordo enim rerum hic est: pr. Non. Sept. in urbem rediit Cicero; Non. Sept. senatui gratias egit (§ 5), pro Pompeio de re frumentaria accurate sententiam dixit (§ 6),[6] contionem habuit; postridie i. e. a. d. VIII. Id. Pompeius legatos XV postulavit, lex et consularis et Messii est conscripta (§ 7).

Frey autem, Hofmannus, Blatzius,[7] Boeckelius verba eo biduo (§ 6 in.) sic interpretati sunt, ut pro biduo post acciperent atque senatus consultum de annona a. d. VII. Id. factum putarent: sed is dies fuit comitialis ideoque senatui habendo minus aptus.[8] praeterea, si biduo post summa erat annonae caritas, ea antecedentibus diebus aucta sit necesse est: contra qui cum viris illis ea verba intellexerit, ei summa caritas eo ipso die orta videbitur, cum vox „summa" praedicative posita

1) Schuetzii adscripsi notas aerae Capitolinae non epistulis separatim (Hal. 1809—13, 6 voll.) editis adiectas, sed editioni operum Ciceronis omnium, ut et posteriores et saepius accuratiores.

2) Quaestio de tempore atque serie epistularum Ciceronis, Sundiae 1836.

3) M. T. Ciceronis ep. selectae ... ed. Suepfle-Boeckel,[8] Karlsruhe 1880.

4) Ausgewaehlte Briefe Cicero's,[2] Leipzig 1873.

5) Ausgewaehlte Briefe von M. T. Cicero,[4] Berl. 1880.

6) qua in oratione fortasse simul egit populo gratias (L. Lange in scholis de oratione de domo).

7) Was bedeutet eo biduo, eo triduo etc.? Gymn. Progr. Offenburg. 1861 p. 10 sq.

8) cf. ad Qu. fr. II. 2, 3; ad fam. I. 4, 1. L. Lange, Roem. Altert. II[3] p. 392 sq.

esse non possit. plane dilucida autem fit sententia, si verba eo biduo cum subsequentibus coniungimus: cum esset pr. Non. et Nonis annonae summa caritas . . ., cum per eos (sc. quos dixi) dies senatus de annona haberetur . . . sententiam dixi: illorum autem ratione verba „per eos dies“ apte vix possunt explicari.[1]) — una tamen restat difficultas, quod in oratione post reditum in senatu (14, 34) Cicero dicit haec: „. . . mecum senatus auctoritas, mecum libertas, mecum etiam frugum ubertas . . . afuerunt“: quae quo die fames in urbe esset dici non potuisse apparet.[2]) scimus autem orationem illam dictam fuisse de scripto,[3]) quod Tullius in itinere exaravit: tum sane talia scribere quidem potuit, in recitando autem omisit.[4])

In eo quoque plane cum Grubero facio, quod statim, postquam eae res factae sunt, epistulam scriptam arbitratur, quam rem et initium insequentis epistulae demonstrat et quae in ipsa ep. leguntur: „§ 1: cum primum Romam veni . . ., nihil prius faciendum mihi putavi, quam ut tibi absenti de reditu nostro gratularer; § 7: illa nostra lex consularis nunc modesta videtur, haec Messii non ferenda; Pompeius . . . dicit; . . . consulares fremunt: nos tacemus e. q. s.“[5]). accedit, quod diligenter narrata sunt, quae singulis diebus fiebant, ut diximus, usque ad a. d. VIII. Id.: quae cum ita sint, non video cur dubitemus, quin hoc ipso die vel paulo post litterae scriptae sint. neque verba (§ 4 in.): „nunc, etsi omnia aut scripta esse a tuis arbitror aut etiam nuntiis ac rumore perlata e. q. s.“ huic rationi obstare putem, cum Cicero imprimis de reditus splendore cogitasse videatur atque saepius Attico — tum in Epiro commoranti[6]) — a suis nuntios allatos esse quominus opinemur nihil impediat. praeterea nescio an aliquid valeat ad definiendum tempus, quod

1) hac de re accuratius atque uberius egit M. Lange: de Cic. altera post reditum oratione, 1875, p. 18 sq.

2) id. p. 23 sq.

3) Cic. pro Planc. 30, 74.

4) cf. M. Lange p. 24 sq.; Drumanni (II p. 308[4]) opinioni (de priore annonae caritate cogitantis) nullo modo possumus assentiri; de eius sententia cf. M. Lange p. 15.

5) animadvertas formas temporis praesentis.

6) cf. Drumann. V p. 21.

Cicero de Clodio utrique legi adversante[1]) nihil dicit, quamquam verisimillimum est statim post leges illas conscriptas eum et negasse quicquam uni extra ordinem oportuisse decerni[2]) et Ciceronem reprehendisse, quod ad populi partes transisset et quasi prodidisset senatus auctoritatem hostis Capitolinus.[3])

Ep. ad Att. IV. 2.

Schuetzius: scr. Romae mense Octobri a. u. c. 696.
Gruber: a pr. Kal. Oct. ep. orditur et aliquot dierum acta complectitur, neque tamen serius quam III. Non. Nov. data, cuius diei acta in ep. ad Att. IV. 3 narrantur.
Suepfle: scr. Romae mense Oct. a. u. c. 697.
Frey: der Brief ist etwa einen Monat nach dem vorhergehenden geschrieben.
Baiter: } scr. Romae mense Oct. a. u. c. 697.
Wesenbergius: }
Hofmannus: der Brief ist wahrscheinlich Mitte October, jedenfalls vor a. d. III. Non. Nov. geschrieben.

Hae litterae, quibus quae pr. Kal. Oct. atque ineunte mense Octobri facta sunt enarrantur, quonam mensis tempore scriptae essent viri docti quaerere noluerunt; quamquam quaedam ad accuratius tempus definiendum inesse videntur, dico verba haec (§ 2 fin.): „quam (sc. orationem de domo) tibi, etiamsi non desideras, tamen mittam cito“: unde concludi posse putem epistulam haud ita multo post et habitam orationem et res in ep. narratas (diebus distinctis usque ad a. d. VI. Non. Oct.) esse scriptam: nam longiore temporis spatio praeterito facile orationem scribendam potuit curare Cicero. praeterea verba (§ 5 in.): „aestimatio . . . reprehenditur“ demonstrare videntur, quomodo acceperint homines senatus consultum illud modo factum. — nihil valent ad statuendum tempus verba (§ 5 in.) „. . senatus consultum, . . . quod ad te misi“:[4]) quod una cum hac ipsa ep. factum

1) de domo 8, 18.
2) ib.
3) ib. 2, 4. 3, 7.
4) cf. Kuehner. gr. lat. II 1 p. 115; Boot. (M. T. Cic. ep. ad T. Pomponium Atticum rec., Amstel. 1865) ad hunc locum.

esse apparet ex verbis (§ 1) his: „nam, ut veni Romam, iterum nunc sum certior factus esse, cui darem litteras", cum Ciceronem senatus consultum litteris non additis Attico misisse nullo modo crediderim. quae cum ita sint, epistulam fere a. d. IV. Non. Oct. vel paulo post scriptam esse censeam; neque adversantur sententiae nostrae verba (§ 7): „domus aedificatur, scis . . . qua molestia; reficitur Formianum e. q. s.", quod consentaneum est senatus consulto de ea re facto exstruendam domum Tullium statim collocasse.[1]) quod consulibus ut curarent, ut sine vi ipsi aedificare liceret,[2]) negotium datum esse silentio praeterit, inde non concluserim id post senatus consultum illud (§ 5) factum esse, sed hic ut minoris momenti praetermissum.

Ep. ad Att. IV. 3.

Hanc epistulam Romae Cicero a. d. VIII. Kal. Dec. hora noctis nona scripsit, ut ex ipsa ep. (§ 5 in.) apparet; quod verum esse rebus per singulos dies enarratis demonstratur.

Ep. ad Qu. fr. II. 1.

Schuetzius: scr. Romae mense Decembri a. u. c. 696.

Gruber: ep. acta unius diei (cf. extr.) complectitur, Iduum sc., nam dies festos adesse dicit ep. in.

Hoffa[3]): scr. Romae mense Dec. a. u. c. 697.

Baiter: } scr. Romae mense Dec. a. u. c. 697.
Wesenbergius: }

Quo haec ep. data sit definiendi temporis ansam praebent verba (§ 1) haec: „senatus fuit frequentior, quam putaramus esse posse mense Decembri sub dies festos." quos dies festos Saturnalia[4]) intellegenda esse nemo opinor negabit. sed vereor ne accuratius quam licuit tempus statuerit Gruber, cum de Idibus cogitaret, ni fallor ea re commotus, quod imprimis Kalendis et Idibus senatus solebat vocari, et ita quidem ut liber-

---

1) cf. § 5.

2) har. resp. 8, 15.

3) ep. ad Qu. fr. libri III recogn. L. Hoffa, Heidelb. 1843.

4) inde ab a. d. XIV. Kal. Jan. celebrata, cf. J. Marquardt., Roem. Staatsverwalt. III p. 562 sq.

tate oppressa ei dies fierent legitimi.[1]) equidem cum a. d. XV. Kal. Ian. fuerit comitialis,[2]) a. d. XVI. Kal. Ian. autem Consualia facta sint cum Saturnalibus arte coniuncta,[3]) de (Id. vel) postridie Id. cogitaverim, ut dies festi sane subessent. epistulam autem eodem quo senatus haberetur die esse scriptam inde concludere licet, quod cum mane priores litteras dedisset,[4]) quid eo die esset factum sane dignum, quod quam celerrime scriberetur, fratri Tullium statim nuntiasse verisimillimum est.

Quintus frater, ut ex ep. extrema apparet, in Siciliam legatus Pompei erat navigaturus[5]) et iam in itinere,[6]) in quo fortasse priores litterae ei deferebantur.

Ep. ad fam. VII. 26: Cicero S. D. Gallo.

Epistulis anni 697 a. u. c. nobis servatis addi solet ep. ad fam. VII. 26 M. Fadio Gallo data, amantissimo Attici et Ciceronis,[7]) cum et eo anno augurem factum esse P. Lentulum Spintherem P. F. P. N. constet[8]) neque de altero Lentulo augure aptius cogitari posse videatur. L. Lentulum Nigrum, cuius cum inaugurareteur cenam luxuriosam Macrobius descripsit,[9]) quoniam is flamen Martialis fuit, intellegere non licet.

A. a. u. c. 698 (= a. C. 56).

Initium turbulentissimum anni a. u. c. 698 quae describunt epistulae quibus diebus sint datae omnes fere indicant; pertinent huc priores primi ep. ad fam. libri litterae:

Ep. ad fam. I. 1: M. Cicero S. D. P. Lentulo Procos.: scripta Id. Ian. (§ 3 in.).

---

1) L. Lange R. A. II³ p. 394; cf. Martyni-Laguna (ed. Orelli, ind. lect. Turic. 1839/40, p. 43) ad ep. ad fam. I. 4, 1.

2) cf. p. 6 adn. 8.

3) cf. Hartmann-Lange, d. roem. Kalender, p. 206.

4) cf. § 1.

5) Drumann. VI p. 731; Lange III² p. 324.

6) Ostiam opinor.

7) ep. ad. Att. VIII. 12, 1.

8) C. Dio 39, 17; cf. Drumann. II p. 544 sq.

9) Saturn. III. 13, 11 Eyssenh.

Ep. ad fam. I. 2: M. Cicero S. D. P. Lentulo Procos.: scripta a. d. XVI. K. Febr. (§ 4 in.).

De epistulis sequentibus 3 et 4 una disputemus oportet.

Ep. ad fam. I. 3: M. Cicero S. D. P. Lentulo Procos.

Hae litterae commendaticiae pro A. Trebonio ad P. Lentulum Spintherem datae, Ciliciam et Cyprum inde ab anno 698 administrantem,[1] ansam accuratius definiendi temporis per se quidem non exhibent, sed inter ep. certas in manuscriptis sunt traditae. et est sane verisimile Ciceronem haud ita multo postquam in provinciam venit Lentulo amicum commendasse. cum vero litterae commendaticiae libro XIII ep. ad fam. contineantur neque omnino credibile sit Ciceronem epistulam tam vilem tum in Ciliciam misisse, haec ep. priori adiuncta fuisse videtur.

Iam tractemus

Ep. ad fam. I. 4: M. Cicero S. D. P. Lentulo Procos.

Schuetzius: scr. Romae ca. a. d. XIV. Kal. Febr.
Gruber: XV. Kal. Febr.
Baiter: scr. Romae mense Ian. a. u. c. 698.
Wesenbergius: scr. Romae mense Ian. XV. Kal. Febr. a. u. c. 698.

Gruber eumque secutus Wesenbergius, ni fallor, quod ep. ad fam. I. 2 a. d. XVI. Kal. Febr. scripta est, hanc, eo die quae gesta sint continentem, insequenti die datam arbitrantur: equidem non video, cur cum permultum Lentuli interesset, ut quam celerrime de eis, quae in senatu acta essent, certior fieret, hoc ipso die epistulam scriptam non putemus. huc accedit, quod ex eis, quae § 1 (extr.) leguntur („senatus haberi ante Kalendas Februarias per legem Pupiam . . . non potest“), collata ep. ad Qu. fr. II. 2 (§ 3: „consecuti sunt dies comitiales, per quos senatus haberi non poterat“, sc. XV. et XIV. Kal. Febr., quo die ep. illa scripta est) nescio an fiat probabile has litteras ante dies comitiales datas esse, i. e. XVI. Kal. Febr.

Habes igitur epistulas 2, 3, 4 ad Lentulum in Ciliciam missas uno eodemque die scriptas; quare vix dubitem, quin in

1) Drumann. II p. 541.

unam sint coniciendae; sunt tamen eae partes diversis diei temporibus conscriptae: ep. 2 ante lucem (§ 4 in.), ep. 4 senatu habito (§ 1).

Ep. ad Qu. fr. II. 2.

Datae sunt litterae XIV. Kal. Febr. (ep. extr.), quod tempus iustum esse rebus enarratis declaratur. nam in § 2, ubi leguntur: „edicta sunt (sc. comitia) a. d. XI. Kal. Febr.“, a Wesenbergio rectissime in praepositio inserta est, praesertim cum non tam referat quo die quam in quem diem edicta sint comitia.

Ep. ad Att. IV. 4a.

Ep. ad Att. IV. 4 ex duabus constare partibus optime vidit Mongaltius; ut unum afferam: Pilia in posteriore parte uxor iam Attici esse videtur, cuius in nuptiis Cicero pr. Id. Febr. erat cenaturus[1]): inde apparet alteram ep. partem postea scriptam esse; priorem autem, quantum video, statim a. d. III. Kal. Febr. datam esse omnes consentiunt, cum Cincium eo ipso die ad Atticum pueros misisse sit consentaneum.

Ep. ad fam. I. 5a: M. Cicero S. D. P. Lentulo Procos.

Duas epistulas item in unam conflatas seiungendas esse vidit Lallemandius, cum prorsus diversa ratione de causa Alexandrina in utraque Cicero verba faceret. priorem partem (5a) putant:

Schuetzius: scr. Romae a. u. c. 697 initio mensis Febr.
Gruber: scr. III. Non. Febr.
Baiter: }
Wesenbergius: } scr. Romae a. d. III. Non. Febr. a. u. c. 698,

comparata ep. ad Qu. fr. II. 3 (§ 1) nescio an confidentius quam licet, cum ibi nil nisi „interim“ sc. inter a. d. IV. Non. et VIII. Id. Febr. Catonem legem de imperio Lentulo abrogando promulgasse traditum sit.

Epistulam ad fam. I. 6 ante ep. 5b scriptam putat Gruber, quia summus ille dolor ex Catonis nefaria promulgatione ortus et silentium de causa Alexandrina ostendant ep. illam scriptam

1) ad Qu. fr. II. 3, 7.

esse ante ep. 5 b, ubi de eadem causa iam denuo bene speraret Cicero: cui assentiri non possum. primum enim id spectandum videtur: traditum ordinem si possit servari esse servandum. huc accedit, quod talis consolatio ipsi epistulae promulgationem illam narranti fuit addenda. praeterea quod attinet ad rerum his diebus gestarum ordinem, ex ep. ad Qu. fr. II. 3 apparet quam nunc dicimus ep. ad. fam. I. 5a excipi ab ep. 5b, cum inter Catonis illam promulgationem et Pompei pro Milone orationem ibi quoque nil maioris momenti narretur, ut hae duae epistulae temere non dirimendae esse videantur.

Ep. ad fam. I. 5b: M. Cicero S. D. P. Lentulo Procos.

Schuetzius: scr. a. u. c. 697 mense Febr.
Gruber tempus non definivit.
Baiter: scr. Romae mense Februario a. u. c. 698.
Wesenbergius: scr. Romae mense Febr. (post VI. Idus) a. u. c. 698.

Quasi duce rerum initio mensis Febr. gestarum uti licet ep. ad Qu. fr. II. 3: hic inde a § 2 res enarrantur illa quoque epistula traditae. quod vero[1]) cod. Mediceus praebet a. d. IIII. Id.,[2]) is dies recte in a. d. VIII. Id. a Manutio correctus est ep. ad fam. I. 5b (§ 1) collata, ubi „at octavo"[3]) traditum est; nam de eadem re utroque loco agi certissimum est, cum eadem fere verba deprehendantur.[4]) quae cum ita essent, sane parum sibi constitit Baiter, cum illic a. d. VIII. legendum censeret, hic (in ep. ad Qu. fr.) a. d. VII. — quod si verum est, in ep. ad Qu. fr. II. 3 (§ 3) numerus codicis M. VI in VIII corrigendus est, cum luce clarius videatur esse: argumentum illius senatus consulti non fuisse senatum ad Apollinis templum,[5]) sed turpissimas illas res (in § 2 narratas), ut diximus, a. d. VIII. Id. factas, contra rem publicam esse factas; et cum res in posterum (sc.

---

1) ad Qu. fr. II. 3, 2.

2) Orelli, a. d. VII. Id. Wesenb., cf. p. 18 adn. 1.

3) Baitero auctore.

4) ad fam. I. 5b, 1: clamore convicioque iactatus est (sc. Pompeius); ad Qu. fr. II. 3, 2: operae Clodianae clamorem sustulerunt . . . ut convicio et maledictis impediretur.

5) sic Baiter.

diem) dilata esset (§ 2 fin.), prior senatus ad Apollinis templum a. d. VII. Id. fuit, posterior a. d. VI. Id. (quae est lectio cod. M. neque cum Tunstallo,[1]) Baitero in a. d. V. Id. mutanda).[2]) — eandem gaudeo esse sententiam Buecheleri,[3]) quem Wesenbergius iure est secutus.

Sed ut revertamur, unde digressi sumus, ep. ad fam. I. 5b describit dies VIII. Id. et VI. Id. (quo die Cato vehementer in Pompeium invectus est); et quod Cicero scribit Lentulo: se Catonis iniuriis restiturum sperare, id aperte spectat ad verba ep. ad Qu. fr. II. 3 § 4 (extr.). cum vero ille nondum quicquam sciat de sodalitatibus auctore[4]) ut videtur Pompeio[5]) solvendis (a. d. IV. Id. Febr.),[6]) nos non valde errare putem arbitratos ep. ad fam. I. 5b a. d. VI. vel V. Id. esse scriptam.

Ep. ad fam. I. 6: M. Cicero S. D. P. Lentulo Procos.

Schuetzius: scr. Romae a. u. c. 697 mense Martio.
Gruber: inter III. Non. et VIII. Id. Febr.
Baiter: scr. Romae mense Febr.
Wesenbergius: scr. Romae mense Febr.

De Gruberi sententia iam vidimus: quaeritur, quando ipsi litteras datas putemus. hoc viro illi docto concedendum videtur ep. esse scriptam Catonis nefaria promulgatione haud ita multo ante facta; et doluisse videtur Cicero, quod de causa Alexandrina non iam agebatur neque quisquam Lentulo, ut et imperium obtineret et regem reduceret, operam dabat nec denique Catonis aut Caninii rogationes frangebantur: certe aegre aliquid tulit cum causa illa coniunctum; cum tum forte ei Pollionis potestas esset, cui litteras daret, Lentulo misisse videtur hanc epistulam propter id ipsum nil de re publica continentem, quod is ex Pollione accepturus erat, quae gererentur, sed modo eum de

1) ep. ad Con. Middleton. p. 94.

2) Drumannus (II p. 324 sq.) quoque, Lange (III² p. 324) de VI. et V. Id. cogitaverunt, cf. C. Peter „Geschichte Roms“ II⁴ p. 241.

3) Rhein. Mus. XI (1857) p. 532 sq.; cf. Tunstall l. l.

4) cf. Lange l. l.

5) in eo potissimum ep. ad fam. I. 5b versatur.

6) ad Qu. fr. II. 3 § 5.

rebus adversis consolantem. quae cum ita sint, hanc ep. haud ita multo post ep. ad fam. I. 5b scriptam putamus.

Ep. ad Qu. fr. II. 3.

Ep. habet subscriptionem: XV. Kal. Mart., cum paulo ante[1]) legantur: pr. Id. Febr. haec scripsi ante lucem; sententiae Nauzi, Hoffae, Wesenbergi[2]): „cum pr. Id. non fuisset, cui ep. daretur, subscriptum eum diem esse, quo demum fuisset, qui eam ad fratrem perferret", gravissimum id obstare cum Ungero[3]) arbitror, quod cum diligentissime enarrata sint, quae singulis diebus essent facta usque ad pr. Id., posterioris diei ne mentio quidem fit; quamquam commemorari debuerunt Idus,[4]) in quas legationes a Kal. Febr. erant reiectae (§ 1).[5]) quapropter, cum insuper verba (§ 7): „cetera sunt in rebus nostris huiusmodi e. q. s." haud ita apte videantur prioribus addita, non dubito cum Zumptio,[6]) Ungero[7]) paragraphi septimae verba: „cetera sunt e. q. s." novae epistulae putare fragmentum datae XV. Kal. Mart.

Epistulae ad Att. IV. 4b et 5 una tractandae sunt.

Ep. ad Att. IV. 4b.

Schuetzius: scr. in Antiati a. u. c. 697 VI. Id. Apr.
Gruber: Antii VI. Id. Apr.
Baiter: scr. in Antiati VI. Id. Apr. a. u. c. 698.
Wesenbergius: scr. in Antiati (VI. Id. Apr.?) a. u. c. 698.

Ep. ad Att. IV. 5.

Schuetzius: scr. in Antiati IV. Id. Apr. a. u. c. 697.
Gruber: V. Id. Apr.

---

1) § 7 in.

2) emendationes alterae . . . ad Cic. ep. editionem, Lips. 1873, p. 65. cf. Bergk., Jahrb. f. cl. Philol. Supplbd. XIII p. 613.

3) N. Jahrb. f. Philol. u. Paedag. CXXIX p. 585.

4) erravit Unger, cum l. l. scriberet huius diei acta in ep. ad fam. I. 2, 1 esse narrata; nimirum Id. Ian. et Id. Febr. confudit.

5) verba (§ 1): „eo die res confecta non est" male de Id. Febr. intellexit Tunstall. ep. ad Middlet. p. 94.

6) Jahrb. f. cl. Philol. Supplbd. VII p. 584.

7) l. l.

Baiter: scr. in Antiati V. Id. Apr. a. u. c. 698.
Wesenbergius: scr. in Antiati (V. Id. Apr.?) a. u. c. 698.

Has epistulas eodem fere tempore Antii scriptas esse postquam a. d. VI. Id. Apr. Cicero Romam reliquisset, Bootius[1]) demum negavit, cum certissimis argumentis obtinuit „ep. 5 intra unius diei spatium post superiorem dari non potuisse; etenim epistulam 4b, ut Antii data esset a. d. VI. Id. Apr., i. e. ipso illo die, quo Cicero Roma proficisceretur, certe non potuisse eodem die Attico tradi: multo minus a. d. V. Id. Apr. librarios illos Roma proficisci et bibliothecam exornare potuisse." mihi vero is scrupulus iniectus est, num omnino illis diebus Cicero Antii fuerit: est enim consentaneum, si Roma Antium profectus esset, id fratri eum scripturum fuisse,[2]) vel postea, cum in Anagninum iret, se Antii fuisse. praeterea nescio an non si Antio Arpinum tetendisset, iter in Anagninum direxerit: contra Roma et ex Tusculano illuc fuit via recta, ut e. g. ex ep. ad Att. XII. 1 apparet.[3]) sed haec levioris momenti, graviora haec: statuamus necesse est ilico respondisse Atticum se cum Pilia Antium tum venire nolle aut nequire, atque statim decrevisse Ciceronem in Anagninum proficisci. huc accedit, quod de Tullia in ep. ad Qu. fr. data ne verbum quidem facit: eamque patrem paulo ante sponsalibus Crassipedi praebitis Roma deduxisse, ut solam Antii relinqueret quis crediderit? mihi quidem persuasum est: si a. d. VI., V. Id. Apr. Antii fuisset atque illinc dedisset ep. ad Qu. fr. II. 7 (Or.), scripsisset Cicero: eram in itinere Antio in Anagninum cum Tullia vel: Tullia Antii relicta sive Romam profecta. sed utut est res, hoc certum videtur epistulas ad Atticum libri quarti, quae nunc 4b et 5 notantur, non esse scriptas a. d. VI. et V. Id. Apr., ut praeter ceteros Baiter et Wesenbergius opinantur; quorum sententiam nequaquam intellego: scribunt ep. ad Qu. fr. II. 7 (Or.) datam esse a. d. VI. Id., cum Cicero in itinere esset (nempe Roma, cum a. d. VII. Id. Quintum et Pompeium conveniret), eodemque die ep. ad. Att. IV. 4b Antii; a. d. V. Id. (ubi Cicero in Laterio fuit viris illis auctoribus)

1) I p. 175, cf. quae infra (p. 17 sq.) exposita sunt.
2) in ep. ad Qu. fr. II. 6 et 7 (Or.).
3) cf. ep. ad Att. V. 1.

ep. ad Att. IV. 5 item Antii, quam intra unius diei spatium post superiorem scribi non potuisse rectissime demonstravit Bootius. — ad accuratius autem definienda tempora nihil in his litteris inest; Bootio vero quod ep. 5 una cum ep. 8a ca. Id. Maias scriptam putat, ordo traditus epistularum mutandus est. huc accedit, quod in extrema ep. 5 Cicero se mox Romam venturum dicere videtur.[1]) quae cum ita sint, ante iter in ep. ad Qu. fr. II. 7 descriptum epistulas ad Att. IV. 4b et 5 Antio datas putarim, fortasse exeunte mense Febr. vel ineunte Martio (post XV. Kal. et ante V. Id. Mart.), cum ep. ad Qu. fr. II. 4[2]) mensem Martium enarrans nihil habeat de itinere; quamquam huic rei non nimis confidam.

Ep. ad Qu. fr. II. 4[2]) (= II. 4; 6 §§ 3—7 Or.).

Ordinem epistularum ad Qu. fr. II. 4, 5, 6 (Or.) in cod. vehementer disturbatum cum demum Theod. Mommsenus[3]) sagacissime restituerit, Schuetzii, Gruberi, Hoffae de temporibus sententiae verae esse nequeunt.

Quod attinet ad epistulam quintam (ex Mommseni constitutione) aperte initio mensis Apr. scriptam, ordo ex actorum enarratione comprobatur, nisi quod dubitem, num epistula Orellianae editionis septima necessario coniungenda sit cum ep. 6 § 3 in.; neque video, cur non novam putemus. quae enim in fine ep. 7 leguntur: „fac, . . . ut valeas quam primumque venias" male repetere mihi videntur haec (ep. 6 § 3): „tu . . . primam navigationem, dummodo idonea tempestas sit, ne omiseris." — diem quo Cicero Quintum et Pompeium visitaret, corrigendum esse vidit idem Mommsenus correxitque in a. d. VII.

1) in § 3 intellegendi videntur horti Crassipedis (de quibus vide ep. ad Att. IV. 12) extra urbem siti (ad Qu. fr. III. 7), non Attici (Boot.); praeterea quoquo modo interpretabimur verba, disponenda videbuntur sic: . . . videtur commodius: ad te postridie scilicet (Wesenberg.). num verba: „tu de via recta in hortos" ex Attici ep. quadam sumpta sint (Boot.), dubitem; quod nescimus Atticum tum in itinere fuisse nihil valet, sane potuit esse eo die.

2) ex Mommseni constitutione.

3) Zeitschr. f. Alterthumswissensch. 1844 p. 593 sq.; cf. ib. 1845 p. 779 sq.

Id. Apr.[1]); quem vero diem cod. M. in initio ep. 7 praebet: y[2]) vel tale quid non satis dilucidum a. d. II. Id.[3]) putavit Mommsenus, Wesenbergius et Baiter, ni fallor antecedente voce „postridie“ (ep. 6, 2 Or.) commoti, in a. d. VI. Id. mutaverunt, pro III. Id. accepit Klotzius,[4]) fortasse recte: inde igitur si epistulam incipiemus, mutatione illa non opus est. litterae autem videntur propter id ipsum esse breviores, quod in itinere datae sunt fortasse alicuius potestate oblata, quibus Cicero fratri nuntiavit, quando se eum Romae inventurum speraret: Pompeius autem Roma a. d. III. Id.[5]) exiturus (ep. 6, 2 Or.) se suis statim Quintum redditurum promiserat. —

Epistulae autem quartae ep. 6 §§ 3—7 recte additae vel inde videntur, quod Sex. Clodius paucis diebus ante Caelii causam[6]) — ludis Megalensibus[7]) iudicatam[8]) — absolutus est, cum ep. 5 quae ineunte mense Apr. facta sunt enarrentur: hoc unum me offendit, quod Cicero, cum in ep. 4 (fin.) de domibus aedificandis verba faciat, paulo post (ep. 6, 3) in hoc ipsum iterum incidit; nisi quis verbis: tribus locis aedifico e. q. s. ἀμφιλαφίας desiderium explicari putet; omnino epistularum generi dicendi aliquid tribuendum constat.

Temporis autem definiendi ansam, ut vidimus, praebet narratio Sex. Clodii absolutionis paucis diebus ante habitam orationem pro Caelio factae; quam ipsam nescio an necessario pr. Non. Apr. Ciceronem habuisse arbitremur illasque litteras, quibus et de hac re et de filia scripserit fratri, periisse[9]) pr. Non. datas, cum, quae post Non. Apr. acta sunt, per singulos

---

1) vel cum Klotzio VI. Id. pro Med. lectione III., numeri II notis cum simillimis numeri V commutatis (III : VI)? cf. O. E. Schmidt., de ep. et a Cassio et ad Cassium datis, pag. 39 sq.

2) Baitero (M. Tullii Cic. op. quae supersunt omnia ed. J. G. Baiter, C. L. Kayser. IX p. LXXI) auctore.

3) hanc Medicei lectionem habet Orellius.

4) cum utraque Victoriana, Ernestiana, Schuetziana.

5) Bergk. l. l. p. 608 et 614 errans scripsit a. d. VI. Id. Apr.

6) Cic. pro Caelio 32, 78.

7) a pr. Non. Apr. usque ad a. d. IV. Id. celebratis. cf. L. Friedländer. apud J. Marquardt., Roem. Staatsverwaltung III p. 480 sq.

8) cf. Lange III² p. 329; neque de aliis ludis cogitari potest.

9) Mommsen. l. l. p. 599.

dies digesta enarrentur neque credibile sit eam rem sane memorabilem silentio esse praeteritam. nam ex eo, quod a. d. VII. (VI.) Id. convenit Pompeium a. d. III. Id. urbe egressurum, apparet Ciceronem ante id temporis Romam redire noluisse. Clodii igitur absolutio exeunte mense Martio facta est eodemque tempore epistula conscripta.[1])

Ep. ad Qu. fr. II. 5a[2]) (= II. 5; 6 §§ 1—3 in. Or.).

Recte si seiunximus epistulam vulgaris ordinis septimam, haec quae ex ep. 5 et initio ep. 6 constat, a. d. VII. (VI.) Id. Apr. scripta est.

Ep. ad Qu. fr. II. 5b (= II. 7 Or.).

Ep. a. d. III. Id. Apr. scripta, cum Cicero ex Tusculano esset profecturus, quo eum se a. d. VI. (V.) Id. Apr. contulisse putamus.

Ep. ad fam. V. 12: M. Cicero S. D. L. Lucceio Q. F.

Schuetzius: scr. a. u. c. 697 mense Maio.
Gruber: ca. Id. Apr.
Frotscher[3]): scr. mense Maio a. u. c. 697 (Varron. 698).
Suepfle: }
Baiter: } scr. in Arpinati mense Apr. a. u. c. 698.
Wesenbergius: }
Hofmannus: im Maerz 56 geschr.

In epistula ipsa quantum video nihil inest, quod temporis definiendi ansam praebeat; sed eam, cum quo tempore **ep. ad Att. IV. 6** daretur, videatur modo scripta,[4]) paulo ante hanc datam esse nemo non videt; de qua ante disputemus oportet. putant eam scriptam:

Schuetzius: in villa incertum qua a. u. c. 697.
Gruber: ca. Id. Apr. (in Arpinati?).
Suepfle: }
Baiter: } in villa mense Apr. a. u. c. 698.
Wesenbergius: in villa mense Apr. (ca. Id.?) a. u. c. 698.

1) Unger l. l. p. 585 nescio an confidentius scripserit ep. a. d. IIII. vel III. Non. Apr. esse datam; quo die Caelii iudicium prope instabat.

2) numeris utar Mommsenianis.

3) in ep. separatim Annabergae a. 1838 edita, p. 5.

4) ep. ad Att. IV. 6, 4.

Et quando et ubi epistula scripta sit, sane incertum est; quin etiam Gruber (p. 6) dubitavit, num omnino hoc tempus tangeret: hoc anno eas litteras scriptas esse et epistularum ordine arbitror probari et mandatis de domo tum aedificata (§ 4);[1]) hoc ipsum tempus eas tangere inde concluserim, quod Atticus Ciceronem absentem de Quinti valetudine certiorem facit (ep. ad Att. IV. 7 § 1, cf. § 3 fin.), quod patris erat, quem Roma afuisse verisimile est: rediit autem e Sicilia paulo post Id. Maias,[2]) ut re vera hae epistulae mense Apr. videantur scriptae.

Quaeritur autem, ubi ep. ad Att. IV. 6 scripta sit. Roma se contulit Cicero a. d. VI. (V.) Id. Apr., ut diximus, in Tusculanum, unde a. d. III. Id. in itinere in Anagninum erat; inde, cum in Laterio fuisset, in Arpinas, ubi quinque dies putabat se fore, tendebat.[3]) ep. ad Atticum IV. 7 in Arpinati propterea scripta videtur, quod de Arpinatium fremitu Cicero verba facit (§ 3); ep. autem ad Lucceium, cum et post eam ep. ad Att. IV. 6 data sit et scriptor ille iam responderit[4]) — quod num eodem die fecerit, quo Ciceronis epistulam accepisset, dubitem —, vix potest ex Arpinati esse data, sed videtur in Tusculano scripta a. d. V. vel IV. Id. Apr.; tum ep. ad Att. IV. 6 in Arpinati cum Grubero et Wesenbergio arbitror scriptam inter Id. Apr. et ca. a. d. XV. Kal. Maias, item ut ep. ad Att. IV. 7: sic optime intellegi potest Ciceronem quattuor epistulas uno tempore accepisse, quod in Arpinati longius ab urbe remoto facile fieri poterat.

De epistula ad Lucceium, ut illuc revertamur, viri docti, ut vidimus, inter se haud consentiunt. Hofmannus de mense Martio cogitat, litteras igitur ad Att. IV. 6 mense Martio putat scriptas, ut nos de ep. 4b et 5 statuimus; ubi epistulam scriptam arbitraretur, non addidit. quamquam concedo certis argumentis demonstrari non posse mense Apr. eas litteras esse datas, tamen verisimilius videtur talem epistulam, qualem ad Lucceium daret, Ciceronem scripsisse, cum longius temporis spatium Roma esset afuturus omnibusque negotiis liber: inde

1) cf. Drumann. II p. 332[75]; vide infra p. 21 in.
2) ad Qu. fr. II. 6.
3) ad Qu. fr. II. 5b (cf. p. 19).
4) ad Att. IV. 6 § 4.

mandata de domo invisenda (ep. ad Att. IV. 6 § 4), in sequenti ep. (§ 3) repetita. praeterea nescio an Cicero in ep. ad Qu. fr. II. 4 mense Martio facta continente fratrem de Lentulo mortuo[1]) certiorem facturus fuerit. — quod vero Schuetzius eas litteras mense Maio scriptas putat (ep. ad Att. IV. 6 accuratiorem temporis notationem addere ipse omisit), et unde et quando datae sint, non satis intellego, imprimis, quod nescio, quid ep. ad Atticum IV. 7[2]) faciam in Arpinati ut videtur scripta, ubi quantum scimus mense Maio ne fuit quidem Cicero. ubi autem ep. ad Lucceium scripta sit, ea ratione plane obscurum manet.

Ep. ad Att. IV. 7.

Schuetzius: scr. in villa Arpinati mense Maio a. u. c. 697.
Gruber: ca. Id. Apr. in Arpinati.
Baiter: scr. in Arpinati mense Apr. a. u. c. 698.
Wesenbergius: scr. in Arpinati mense Apr. (ca. Id.) a. u. c. 698.

Equidem eis, quae dixi (cf. p. 20), nihil addendum arbitror. Gruber autem hanc ep. ante ep. 6 posuit: causam non addidit, fortasse commotus nuntio de Quinti morbo, quem eundem putaret esse atque in ep. ad Qu. fr. II. 5a § 2 commemoratum atque denuo graviorem factum; cum vero Cicero in ep. ad Att. IV. 6 de Quinti valetudine non quaereret, ep. 7 antecedere esse necesse. sed scimus omnino Quintum infirma valetudine fuisse,[3]) et quidni credamus sollicitum fuisse Ciceronem de Quinto non tam quod aegrotum eum reliquisset, quam ipsis Chaerippi monstris nuntiatis?

Ep. ad Att. IV. 8a.

Schuetzius: scr. Antii mense Maio a. u. c. 697.
Gruber: a. d. IV. Id. Apr.
Baiter: } scr. Antii mense Apr. a. u. c. 698.
Wesenbergius: }

Gruberi sententiam iam vidimus veram esse non posse: aliquid eum secuti Baiter et Wesenbergius mensem quidem

1) cf. ep. ad Att. IV. 6 in.

2) haec ep. ob eam quam dixi (p. 20) causam — Quintum fr. nondum rediisse videri — ante ep. ad Qu. fr. II. 6 scripta sit necesse est.

3) Drumann. VI p. 752.

retinuerunt, diem non item ut aperte falsum: illi igitur sumant necesse est Ciceronem instituto itineris ordine abiecto iterum Antium se contulisse: mera coniectura neque, quod videam, ulla re probabili. neque tamen est, quod Bootio[1]) obloquamur de medio mense Maio (cum Schuetzio) cogitanti, quo tempore Ciceronem Antii fuisse scimus ex ep. ad Qu. fr. II. 6: tum ea epistula ca. Id. Maias scripta sit; quamquam Bootii sententiae non nimis ideo confidam, quod ex ipsa illa ep. apparet, quam facile ac quam saepe Tullius Antium reviserit. verisimile sane est eum primum statim, cum Antium post libros dispositos venisset, Attico hanc misisse epistulam (mense Apr., ut vidimus, et ineunte Maio Antii fuisse non videtur). praeterea nescio an illud „alsius" (§ 1 fin.), quod de Antiati praedicatur, magis ad mensem Maium quam Apr. quadret.

Ep. ad Qu. fr. II. 6 (= II. 8 Or.).

Schuetzius: scr. Romae exeunte mense Iunio a. u. c. 697.
Gruber: post Id. Maias.
Hoffa: scr. exeunte mense Iunio a. u. c. 698.
Baiter: }
Wesenbergius: } scr. Romae mense Maio a. u. c. 698.

Ep. est scripta Romae, quo num antequam Antium iret se contulerit Cicero video homines doctos inter se non consentire: Gruber quidem scribit (p. 6): „cum urbem, quam Non. Maiis intraverat, iterum reliquisset"; Drumannus[2]) id negavit fretus ep. ad Att. IV. 7[3]) ni fallor verbis his (§ 3): „mea mandata de domo curabis: praesidia locabis, Milonem admonebis", quae quo ordine leguntur non possunt explicari nisi: Milonem admonebis, ne nos cum grege suo contra impetus Clodii deficiat. neque quicquam in hac epistula inest, quo se Non. Maiis Romae esse nolle Cicero indicet: quantum video nihil obstat, quominus eum, ut fratri scripserat, ca. pr. Non. Maias Romam rediisse arbitremur ac paucis diebus post isse Antium. verba enim illa

1) in ed. I p. 175.
2) V p. 693.
3) coll. ep. ad Qu. fr. II. 5b.

(§ 1 fin.): „eram Antii“[1]) universae epistulae ratione habita vim habere videntur: ut sine oppugnatione, sine gratia nostra fieret iudicium, eo die Antium me contuleram, sc. Roma. — ut vero Schuetzius et Hoffa exeunte mense Iunio epistulam scriptam putarent, non investigavi, quibus causis essent permoti. scribit enim Cicero fratri de supplicatione Gabinio Id. Maiis denegata et addit haec: „quod Idibus et postridie fuerat dictum de agro Campano actum iri, non est actum“, unde concludam eodem quo haec facta essent mense i. e. Maio epistulam esse conscriptam; quod nescio an confirmetur bis commemoratis Id. ut haud diu praeteritis. certe epistula post XVII. Kal. Iun. data est neque opinor multo post; unus Gruber videtur eam Antio datam putasse, sed iure nemo eum est secutus. Quintum enim ex Sicilia redeuntem Ostiam appulisse verisimile est, unde prius Romam pervenit quam frater Antio; ceterum ut Antii scriberet, addere Ciceronem oportebat, quando Romam rediturus vel ubi fratrem esset exspectaturus.

Ep. ad fam. I. 7: M. Cicero S. D. P. Lentulo Procos.

Schuetzius: scr. Romae mense circiter Maio a. u. c. 697.
Gruber: Iunio aut Sext. scr.[2])
Suepfle: scr. Romae exeunte mense Quintili a. u. c. 698.
Baiter: } scr. Romae mense Martio a. u. c. 698.
Wesenbergius: }

De tempore, quo epistula esset scripta, singularem disputationem instituit K. Fr. Hermannus,[3]) qua Hieron. Ragazonium[4]) et Paul. Manutium[5]) de anno a. u. c. 698 (aerae Capitolinae) cogitantes redarguit. vir ille doctus iudicium coniungit cum

1) quam coniecturam rectissime in textum receptam arbitror, cum quod se afuisse fratri scriberet, ubinam fuisset Ciceronem adiecisse verisimillimum sit.

2) sic p. 7; vitio p. 6 „Sept“ legitur.

3) Allg. Schulztg. 1829 no. 88. 89 (= gesammelte Abhandl. p. 22—38).

4) P. Manutii commentarius in M. T. Cic. epist. ad div.; accedunt eiusdem scholia et Hieron. Ragazonii . . . commentarius, cur. Chr. G. Richter (Lips. 1780), II p. 974.

5) ib. I p. 57.

oratione de provinciis consularibus, post quam, ut videtur ineunte mense Iunio anni a. u. 698 habitam,[1]) epistula data est;[2]) praeterea addit haec: „Pompeium appellari consularem (§ 3), non consulem;[3]) L. Racilium eo anno tr. pl. fuisse (§ 2, cf. ad Qu. fr. II. 4, 5).“ hoc quoque loco laudantur Hortensius et Lucullus, ut in ep. ad fam. I. 5b; simillima Lentuli et Ciceronis temporum ratio significatur (§ 2, cf. ep. ad fam. I. 6), principum perfidia denotatur (§ 7, cf. ep. ad Att. IV. 5, 1): quae an quid ad temporis descriptionem valeant nescio; graviora mihi videntur haec: quae in extrema ep. leguntur aperte pertinent ad Tulliam Crassipedi pr. Non. Apr.[4]) desponsam. huc accedit, quod ex eis, quae in. ep. habes: quod (sc. te litteris meis certiorem fieri) si rarius fiet, quam tu exspectabis, id erit causae e. q. s., concludi posse videtur adhuc crebro scripsisse Lentulo Ciceronem, metuere autem, ut semper habeat, cui litteras det. haec igitur ep. inter „crebro“ (cf. § 1) scriptas est numeranda atque certe non multo post epistulam illam a Lentulo allatam conscripta. quamquam autem nescimus, quanto post acceptas litteras Lentulus rescripserit, tamen eum haud ita multo post fecisse putem, ne nimis sera esset gratulatio.

Tabellarius e Cilicia celeriter profectus non ante septimum quadragesimum diem Romam pervenit,[5]) saepius igitur posteriore quodam die. quam ob rem Lentuli epistulam centesimo fere die post pr. Non. Apr. i. e. ca. Id. Quint. Ciceronem accepisse atque, ut diximus, paulo post rescripsisse (i. e. exeunte mense Quintili) verisimile. — Wesenbergii notatio „mense Martio scr.“ vitio nescio quo corrupta videtur; quod ad Schuetzii et Baiteri sententiam „scr. mense Maio“ attinet, eis quae disputavi nihil censeo addendum.

---

1) cf. Lange III² p. 331.

2) cf. § 10.

3) anno 699 a. u. iterum consul fuit.

4) ad Qu. fr. II. 5a, 1.

5) C. Bardt.: quaestiones Tullianae, Berol. 1866, p. 24 sq.; O. E. Schmidt., de ep. et a Cassio et ad Cassium datis p. 9; L. Moll., de temporibus ep. Tullianarum quaest. 1883, p. 12; cf. Fr. Hofmann., de origine belli civilis Caesariani (1857) p. 59.

Ep. ad fam. XIII. 6a et b: M. Cicero Q. Valerio Q. F. Orcae Procos.
Schuetzius: scr. Romae a. u. c. 697.
Gruber: scr. a. u. c. 698 (non statim post discessum Valerii).
Baiter: scr. Romae a. u. c. 698.
Wesenbergius: scr. Romae a. u. c. 698 (post m. Sept.).

Constat Q. Valerium a. u. c. 697 fuisse praetorem,[1]) cumque hic appelletur proconsul, epistulae sequenti anno videntur scriptae. solebant autem, qui provincias erant administraturi, non statim magistratu functi urbe egredi, sed Aprili, Maio, etiam posteriore quodam mense;[2]) quapropter hae epistulae exeunte anno missae sunt: accuratius tempus videtur definiri non posse.[3]) ep. 6 b ab 6 a optime ideo seiuncta est, quod novam continet commendationem (cf. ep. 6 a §§ 1 et 2).

De epistulis ad exeuntem annum a. u. c. 698 et ineuntem 699 pertinentibus, quibusnam temporibus sint conscriptae, adhuc ut videtur sub iudice lis est, dico epistulas **ad fam. I. 8, ad Att. IV. 8b, ad Qu. fr. II. 7** (= II. 9 Or.). certam temporis ansam una ep. ad. Qu. fr. praebet (§ 3 in.): „a. d. III. Id. Febr. senatus consultum est factum de ambitu in Afranii sententiam.“ in ea epistula Crassus iam appellatur consul (§ 2, cf. § 3), ut consules[4]) ante id temporis creatos esse necesse sit. sed illa diei definitio velut ab Ernestio mutata est in a. d. III. Id. Maii, ab Orellio in a. d. III. Id. Maias, quem C. M. Wielandius,[5]) Hoffa, L. Lange[6]) sunt secuti, cum cod. M.[7]) lectionem retinerent Gruber, Drumannus,[8]) Mommsenus,[9]) Baiter, Wesenbergius. mirum in modum Schuetzius hanc epistulam circiter Id. Febr. putat scriptam, senatus consultum autem illud a. d. III. Id. Maias factum. — causa mutationis verba ep. ad Att. IV. 8b videntur fuisse haec (§ 1):

1) Hoelzl., fasti praet. p. 60; Lange III^2 p. 309.
2) cf. J. Marquardt., Roem. Staatsverw. I p. 395.
3) qua causa Wesenbergius commotus esset, ut „post m. Sept.“ adderet, non investigavi.
4) anno a. u. c. 699 ex interregno creatos, C. Dio 39, 31.
5) Cic. Briefe uebers. II p. 267.
6) III^2 p. 337 dubitanter.
7) quocum libri omnes consentiunt.
8) III p. 279^{39}.
9) Zeitschr. f. Alterthumswissensch. 1844 p. 595.

„ludis quidem quoniam dies est additus e. q. s."; quae si scripta sunt Pompeio et Crasso consulibus modo creatis, sane initio anni non erant ludi, de quibus apte cogitari potest; quaeritur igitur primum, quonam tempore **ep. ad Att. IV. 8b** scriptam putemus, quam arbitrantur:

Schuetzius: scr. in Antiati ca. autumnum anni a. u. c. 697.
Gruber: scr. ultimis mensibus anni 698.
Baiter: } scr. autumno a. u. c. 698.
Wesenbergius: }

Omnes igitur editores[1]) de anno 698 cogitaverunt, quaeritur, quo iure fecerint. agitur imprimis de paragrapho secunda, qua L. Domitius Ahenobarbus[2]) consul fieri non posse narratur. maxime premendum videtur verbum „petat": quod si in universum esset dictum quasi quid proprium Domitii, eum iam saepius consulatus repulsam tulisse necesse erat. contra scimus eum anno a. u. c. 696 fuisse praetorem,[3]) ut ante annum 698 consulatum petere omnino non potuerit. inde sequitur verba „eum ... fieri consulem non posse" scripta esse ante comitia consulibus creandis habita; postea scribendum erat: „. . . factum consulem non esse, praesertim cum aut solus aut certe non plus quam cum altero peteret."[4]) praeterea verba „praeter opinionem" (§ 2) nullo modo poterant apte dici initio anni 699, quo Pompeius et Crassus iam potiebantur rerum. Trebonium (§ 2 in.) anno 699 tribunum pl. fuisse constat[5]): fortasse hic de petitione eius cogitandum est vel de eius erga triumviros, qui dicuntur, studiis (Boot.). — sed quaeritur, num accuratius epistulae scriptae tempus possit indagari: iam primum apparet Pompei et Crassi consilium petendi consulatus plane notum fuisse (§ 2 fin.), quod anno exeunte aperiebant, quia Dio eorum responsa in fine historiae eius anni profert, ut fere certum habeam hic ludos

---

1) praeter unum Orellium; Wielandius quoque l. l. p. 261 ep. ineunte anno 698 (aerae Capitol.) scriptam adnotat. Bootius autem sententiam de anno 699 ipse abiecit: I praef. p. XV.

2) cf. Lange III² p. 336.

3) Hoelzl. l. l. p. 56.

4) de qua re postea dubitatio esse non poterat.

5) C. Dio 39, 33.

plebeios[1]) esse intellegendos;[2]) epistula igitur ca. Id. Nov. scripta est, ut videtur, in Tusculano, cum cotidie litteras ab Attico Cicero exspectaret (cf. Gruber p. 7).

Difficilius videtur definire tempus

Ep. ad fam. I. 8: M. Cicero S. D. P. Lentulo Procos.

Schuetzius: scr. Romae a. u. c. 698.
Gruber: anno 699.
Baiter: } scr. Romae mense Ian. a. u. c. 699.
Wesenbergius: }

Qui viri omnes ep. Pompeio, Crasso consulibus putant scriptam: vix iure opinor. sunt enim nonnulla, quibus ut contra sentiam commoveor. primum admodum dubito, num Cicero scripturus fuerit (§ 5) haec: „Pompeium tibi valde amicum esse cognovi et eo tu consule . . . omnia, quae voles, obtinebis", si is iam consul fuisset pro: „cum is sit consul", similique modo verba (§ 4): „otium nobis exoptandum est, quod ii, qui potiuntur rerum, praestaturi videntur, si quidam homines patientius eorum potentiam ferre potuerint" aptius ad tempus ante initum consulatum referenda videntur. quamquam accuratius tempus epistulae conscriptae vix posse exquiri videtur, nisi postquam Pompeius et Crassus se consulatum petituros concesserunt,[3]) tamen ex omni specie, quam prae se fert, epistulam exeunte anno datam esse concludam; de mense Ian. propterea non cogitarim, quod tum comitia prope instabant, de quibus nescio an Cicero Lentulo scripturus fuerit et maxime de interregno.

A. a. u. c. 699 (= a. C. 55).

Ep. ad Qu. fr. II. 7 (= II. 9 Or.).

Schuetzius: scr. Romae circiter Id. Febr. a. u. c. 698.
Gruber: ca. Id. Febr.
Hoffa: scr. Romae circiter Id. Maias a. u. c. 699.

---

1) pr. Non. Nov. usque ad a. d. XIV. Kal. Dec. celebratos, cf. I. Marquardt., Roem. Staatsverw. III p. 335.

2) quibus senatores interesse noluerunt, C. Dio 39, 30.

3) cf. p. 23.

Baiter: / Wesenbergius: } scr. Romae mense Febr. a. u. c. 699.

Pauca eis, quae supra diximus, hic addenda videntur, cur diem illum (a. d. III. Id. Febr., § 3) mutandum non esse arbitremur. ut enim omittamus, quae Drumannus[1]) docte hac de re disputavit, quae proferantur digna videntur haec: aperte eo die, quo senatus consultum de ambitu in Afranii sententiam factum est, praetores nondum erant creati quidem, sed comitia prope adfuisse videntur (§ 3 fin.). consules certe creati erant exeunte mense Apr., quo de creandis censoribus Attico Cicero scribit (IV. 9 in.; hi creati videntur in ep. ad Att. IV. 11). et si re vera hoc anno C. Messius fuit aedilis curulis[2]) et edidit ludos Florales,[3]) vel eo fit mutatio illa suspectior, quod tum aediles quidem et censores mense Apr. essent creati, contra praetores, qui una cum consulibus solebant creari aut certe non multo post,[4]) nondum medio mense Maio. huc accedunt, quae apud rerum scriptores leguntur: Plut. Cat. 42: *ᾑρέθησαν μὲν ὕπατοι Πομπήϊος καὶ Κράσσος .... πρῶτον μὲν ἐξαίφνης καὶ τῶν πολλῶν ἀγνοούντων βουλὴν συναγαγόντες ἐψηφίσαντο τοὺς αἱρεθέντας στρατηγοὺς εὐθὺς ἄρχειν κ. τ. λ.*: inde sequitur ante ceteros magistratus consules creandos curasse praetores; C. Dio (39, 32: *καὶ ἡ μὲν τῶν στρατηγῶν κατάστασις [ὁ γὰρ Κάτων οὐδὲν βίαιον πρᾶξαι ἠξίωσεν] εἰρηναία ἐγένετο, περὶ δὲ τοὺς ἀγορανόμους τοὺς κουρουλίους σφαγαὶ συνέβησαν . .*) apertis verbis narrat praetores ante aediles curules esse creatos; adde huc: Plut. Pomp. 52: *..τοιαύτῃ δὲ ὁδῷ παρελθόντες ἐπὶ τὴν ἀρχὴν οὐδὲ τἆλλα κοσμιώτερον ἔπραττον. ἀλλὰ πρῶτον μὲν τὸν Κάτωνα τοῦ δήμου στρατηγὸν αἱρουμένου καὶ τὴν ψῆφον ἐπιφέροντος, Πομπήϊος ἔλυσε τὴν ἐκκλησίαν κ. τ. λ.*[5]). — quae si recte exposita sunt, epistulam apparet scriptam esse mense Febr., ut videtur, statim post senatus consultum illud factum, fortasse pr. Id.

---

1) III p. 279^{39}.

2) Drumann. V p. 170 sq.; Lange III^2 p. 338.

3) Val. Max. II. 10, 8; qui ludi inde ab IV. Kal. usque ad V. Non. Maias celebrabantur; cf. Hartmann-Lange, der roem. Kalender, p. 135 adn. 8, et J. Marquardt., Roem. Staatsverw. III p. 363 adn. 10, 11.

4) Lange I^3 p. 782. 5) cf. Liv. per. l. CV.

Hac ratione consulum quoque comitia accuratius videntur posse definiri: fiebant comitia centuriata die comitiali,[1]) ergo ante Kal. Febr.,[2]) certe exeunte mense Ian.; huc quadrat, quod in ep. ad Qu. fr. II. 7 consules iam longius temporis spatium magistratu fungi videntur.

Epistulae **ad Atticum** libri **IV. 9, 10, 11** quo ordine quibusve temporibus sint scriptae non satis liquet, cum traditi dies veri esse non possint.

Primum Parilia (ep. 10, 2), quo die ep. 10 scripta est,[3]) celebrabantur a. d. X. Kal. Maias.[4]) deinde ep. 9 a. d. IV. Kal. Maias datam esse exhibent verba extrema, neque de fide eius diei adhuc quisquam dubitavit. quapropter ep. 11 quod habet § 1 in.: „delectarunt me epistulae tuae, quas accepi uno tempore duas a. d. V. Kal.“ verum esse sane non poterat, quoniam tum Cicero de ea re Attico in ep. 9 scripsisset: quae cum ita essent, primus Manutius in ep. 11 scripsit a. d. II. Kal., Bootius III. Kal., Wesenbergius cogitavit de: datas a. d. V. Kal. (antecesserat Hirschfelder[5]) scribens: a. d. V. Kal. scriptas). primum equidem cum Ritschelio,[6]) Hirschfeldero[7]) mihi persuadere non potui pro „pr. Kal.“ scriptum esse „II. Kal.“, quod non ita commodius scriberetur quam „pr.“ erroribusque esset obnoxium. sed pr. Kal. mea quidem sententia ne verus quidem dies est: nam Pompeium, cum Crassum a. d. IV. Kal. in Albano exspectare vellet atque statim Romam redire, pr. Kal. iam Romae fuisse consentaneum est; et si re vera a. d. II. Kal. epistulam Cicero dedisset, vix scripsisset

1) Lange I³ p. 554.

2) ac cum trinundinum interesse deberet (Lange I³ p. 556), comitia edicta videntur ante pr. Id. Ian.

3) certe enim postridie eius diei, quo advenit Pompeius eumque salutavit, ad illum Cicero vadebat, cum ipsis Parilibus epistulam scripsisset; alio modo extrema ep. verba explicari non possunt, quapropter non facio cum Schuetzio et Wesenbergio hanc ep. IX. Kal. Maias scriptam esse adnotantibus.

4) cf. Mommsen. C. I. L. I p. 391.

5) N. Jahrb. f. Philol. u. Paedag. CIII (1871) p. 205 sq.

6) Rhein. Mus. XVIII p. 456 (= opusc. IV p. 757).

7) l. l.

haec (§ 1 fin.): „..cum is Romam venerit, ad me mittas velim.“ epistula igitur scripta est tempore, quo consules vel in urbe nondum esse possent (i. e. ante a. d. IIII. Kal.), vel quo Cicero eos nondum Romam revertisse putaret: sic optime probatur traditus dies a. d. V. Kal., quo nullus dubito, quin epistula conscripta sit (summa enim Tullius flagrabat cupiditate audiendi, quae proximis diebus essent facta, ideoque misit, cui cito daretur epistula). tum sane scribere potuit: „. . . aut nunc, si scies,“ i. e. ante reditum Pompei, „aut cum is Romam venerit, ad me mittas velim.“ celeriter litterae ex illis regionibus datae Romam afferebantur die tertio[1]: quod si hic sumimus, tabellarius in urbem pervenit a. d. III. Kal., quo dubium esse poterat, num iam consules rediissent. verba quoque ep. 11 (§ 2) haec: „. . . perscribe ad me, quid primus dies, quid secundus“ si cum Bootio de ludis Florae accipimus, sententiae nostrae favere videntur. epistula enim a. d. V. Kal. e Cumano data si III. Kal. Romam allata est ac statim respondit Atticus, re vera primum et secundum ludorum diem, i. e. a. d. IV. et III. Kal. Maias,[2]) describere poterat.

Accedit autem, quod Pompeius, si in Albano a. d. IV. Kal. Crassum volebat exspectare, a. d. VII. vel VI. Kal. illuc proficisci debuit, ne sero veniret; ac tum, quod Pompeius de Crasso dixerat, in ep. 9 erat commemorandum. quae cum ita sint neque illud a. d. IV. Kal. (ep. 11, 1) probabili modo videatur posse corrigi, dies epistulae nonae falso traditi sunt. certo scimus a. d. IX. Kal. Maias Ciceronem ad Pompeium in Cumanum venisse; Pompeius, opinor, eodem die etiam Ciceronem convenit ac cum eo se Neapolim contulit; proximo die (i. e. a. d. VIII. Kal.) Cicero ivit in Pompeianum, unde revertisse videtur a. d. VII. Kal., quo die rursus collocutus est cum Pompeio, qui se in Albanum profecturum ei dixit. ordinem igitur epistularum constituo sic:

ep. 10: scr. a. d. X. Kal. Maias.
ep. 9: scr. a. d. VIII. Kal. „
ep. 11: scr. a. d. V. Kal. „

---

1) cf. Bardt. l. l. p. 8 sq.; O. E Schmidt. l. l. p. 4.
2) cf. p. 28 adn. 3.

Quomodo vitium ortum sit, probabili quadam ratione explicari videtur non posse: licet unus corruptus dies corruptelam alterius secum attulerit.

Miror, quod Wesenbergius in ep. 11 de a. d. II. Kal. Iun. cogitavit, cum de rebus se statim excipientibus hic agatur.

Restat, ut ubi hae tres epistulae scriptae sint quaerámus: ep. 9 (fin.) indicat Neapolim, ep. 10 videtur data ex Cumano[1]) propter verba ep. 9 (§ 1): venit etiam ad me in Cumanum;[2]) ep. 11 indidem, in qua Fausti, ut videtur, bibliothecae[3]) Cicero item mentionem facit.

Ep. ad Qu. fr. II. 8 (= II. 10 Or.).

Schuetzius: scr. in Puteolano vel Cumano mense Apr. vel Maio a. u. c. 698.

Gruber: mense Maio (ut videtur).

Hoffa: scr. in Puteolano vel Cumano mense Apr. vel Maio a. u. c. 699.

Baiter: }
Wesenbergius: } scr. mense Maio a. u. c. 699.

Fateor nihil me in hac epistula sane haud ita facili explicatu invenisse, quod ad tempus definiendum valeat; ignoramus etiam, ubi sit scripta ep. et quam villam Cicero appellaverit tum apertam ac ne rudem quidem (§ 2): de Puteolano[4]) videtur cogitari non posse; dubium est de Cumano, cuius primum in ep. ad Qu. fr. II. 5b[5]) mentio fit: „rediens adspicere Cumanum", quod quis de aedificanda villa accipiat: sed cur ille cum fabris mansit in ea villa, cum aliae non longe abessent, quo se conferret? — licet tum ipsum villam aedificaverit, de qua accuratius non sumus certiores facti.

Quod autem ad tempus attinet, nullam video causam, cur non ad idem iter has litteras referamus, in quo ep. ad Att. IV. 9, 10, 11 sunt scriptae: sane Cicero tum erat „philologus" (§ 3,

1) Drumann. VI p. 392 sq.
2) cf. verba extrema: me de Cumano movi e. q. s.
3) cf. Drumann. II p. 496[92]. 499[22].
4) cf. Drumann. VI p. 393.
5) non in ep. ad Att. IV. 9 (Drumann. VI p. 392[72]).

cf. ep. ad Att. IV. 10 in., 11 § 2); scripserit igitur hanc ep. (ineunte) mense Maio: nihil praeterea scimus de ullo maiore itinere ab eo hoc anno facto nisi mense Nov. (cf. ep. ad Att. IV. 13), quo tempore non erat aptum Marium[1]) et Quintum fratrem, ut rus se conferrent, invitare.

Ep. ad Att. IV. 12.

Schuetzius: scr. in Tusculano vel in Antiati exeunte mense Maio a. u. c. 698.

Gruber: ante Id. Maias.

Baiter:
Wesenbergius: } scr. mense Maio a. u. c. 699.

De hac quoque epistula certi quicquam proferri nequit, cum quaenam Kal. intellegendae sint incertum, personae autem atque res, de quibus agitur, sint ignotae. Hofmanno[2]) vero „Idibus" ex interpolatione ortum putanti non assentior: primum enim non satis apparet, quomodo vir ille doctus id in textum irreptum aut qua de causa additum existimet; deinde ipsa lectio cod. M. prae se fert corruptelam: „. . praesto: esse enim auctionem Larini video et iduum praeterea": ipsa falso tradita voce „iduum" commotus de omissa iusta „Idibus" cogitem, qua sublata non est, quo verba: „et biduum praeterea" referantur. tum codex ille Tornaesianus (Z), qui hic „Idibus" exhibet, a Wesenbergio,[3]) Fr. Schmidtio,[4]) I. H. Schmalzio[5]) multo pluris haberi coeptus est, quam antea haberetur, cum Hofmannus illam dissertationem scriberet. Bootio autem iudicanti cogitandas esse Idus eiusdem mensis, cuius Kal. paulo post nominentur, plane assentior. neque enim ineunte mense, quo, si Id. erat auctio, Larinum Ciceronem proficisci oportuit, sic Atticum invitare potuit, ut Kal. apud se cenaret: omnino eis, quae in extrema ep. leguntur, nescio an

---

1) quippe qui autumno ipse in eis locis versaretur, cf. ep. ad fam. VII. 1 et p. 34.

2) Der krit. Apparat zu Cic. Briefen an Att. Berl. 1863, p. 53 sq.

3) in ed. ep. II p. III.

4) Der cod. Tornes. der Briefe Cic. an Att. u. sein Verhaeltniss zum Med. Erlangen 1882.

5) Philol. Rundschau 1884 p. 177 sq.; Bursian. Jahresber. XXXIX p. 43 sq.

fiat probabile haud ita procul abesse Kalendas; de quibus autem Kal. sit cogitandum, non liquet, tamen videtur de Kal. Iun., cum Romam Tullius ex itinere redierit. epistulam igitur scriptam puto Antii, ut videtur, exeunte mense Maio.

Ep. ad fam. VII. 1: M. Cicero S. D. M. Mario.

Schuetzius: scr. Romae a. u. c. 698.
Gruber: a. u. c. 699.
Suepfle: scr. Romae a. u. c. 699.
Baiter: } scr. Romae a. u. c. 699.
Wesenbergius: }

Describuntur hac epistula ludi a Pompeio iterum consule cum theatrum dedicaret editi, nihil tamen inest, quod temporis definiendi praebeat ansam: unde Hofmannus[1]) sciat theatrum illud mense Iun. esse dedicatum, equidem investigare non potui. ludi autem facti sunt, cum paucis diebus ante Cicero orationem in Pisonem habuisset.[2]) fuit is consul anno a. u. c. 696; proconsuli ei Macedonia provincia obtigit, quo se hieme[3]) contulit; ubi cum plus biennium[4]) commoratus esset, anno 699 rediit: quod exeunte aestate factum esse apparet ex verbis orationis illius his:[5]) „. . nulla ex trinis aestivis gratulatio, nulla triumphi mentio.“ tamen illum, cum praeterea sciamus post decessionem eum se Samothraciam, Thasum, alio[6]) contulisse, autumno demum Romam venisse verisimile est:[7]) huc quadrant quae et

1) l. l. p. 54.

2) cf. Drumann. IV p. 523 sq.; Lange III² p. 342.

3) Cic. in Pis. 24, 57.

4) cf. ib. 23, 55; 35, 86.

5) ib. 40, 97: quae nimis levia duxit Hofmannus: de origine belli civ. Caes. p. 7 adn. 10.

6) Cic. in Pis. 36, 89.

7) facile quis crediderit orationis habitae tempus accuratius posse definiri ratione habita verborum horum (25, 59; cf. 19, 45): „. . . quid est, Caesar, quod te supplicationes totiens iam decretae tot dierum tanto opere delectent?“ ipse Caesar (b. G. IV. 38) memoriae tradidit eo anno rebus prospere gestis dierum viginti supplicationem a senatu sibi esse decretam. anno 55 a. C. ex Britannia rediit e Napoleontis computatione (hist. de Jules César II p. 180; eique assentitur Bergkius: Jahrb. f. cl. Philol. Supplbd. XIII (1884) p. 612) pr. Id. Sept. (anni Iuliani), qui dies respondet de sententia

C. Dio memoriae prodidit:[1]) theatro dedicato conscribendos milites curasse consules, cum Crassus in provinciam esset profecturus; et Plutarchus:[2]) Crassum quidem in provinciam se contulisse, Pompeium autem Romae dedicasse theatrum. quae per se quidem vera non sunt, at inde videntur orta, quod Crassus non multo post eos ludos factos pomerio egressus est, ut facile temporum rationes possent misceri. profectus autem est ille medio mense Nov.,[3]) ut hac quoque ratione probetur autumnus anni 699, quo tempore, fortasse mense Oct., ep. ad fam. VII. 1 scriptam putamus. ceterum Fischerum[4]) Valerio Maximo[5]) fretum de aestate cogitasse vix operae pretium est monuisse.[6])

Ex eis, quae tum Cicero scripsit Mario (§ 5 fin.), nescio an possit concludi ipsum in villas voluisse proficisci, quaeque in ep. ad Att. IV. 13 leguntur, longiorem eius absentiam produnt,[7]) quod tempus fortasse in eis villis fuit; unde reversus in hortis

---

Ideleri (Handb. d. mathem. u. techn. Chronol. II p. 116): III. Kal. Oct. 699, quocum consentiunt Korbius (M. T. Cic. opera ed. I. C. Orelli., VI p. 173), chronologus Gallicus Napoleontis (hist. de J. C. II p. 537), Unger (Neue Jahrb. f. Philol. u. Paedag. CXXIX p. 585).

Zumptii (Jahrb. f. cl. Philol. Supplbd. VII (1873—75) p. 596): X. Kal. Nov.

Bergkii (l. l.): IX. Kal. Nov.

Matzatii (Roem. Chronologie I p. 70): pr. Kal. Oct.; quibus si fidem licet habere, Caesaris litterae illae (cf. b. G. l. l.) ante mensem Nov. Romam afferri vix poterant; oratio autem Pisoniana habita est, cum ludi instarent, quos per aliquot dies esse celebratos ex hac epistula apparet: sed ante medium mensem Nov. Cicero, qui ludos hac ep. describit, longius temporis spatium Roma afuit (cf. adn. 7). quae cum ita sint, quo tempore oratio haberetur, supplicationem illam Caesari iam fuisse decretam non crediderim; quo quidem facto certe multo maiore vi de ea re Cic. verba fecisset.

1) 39, 39 Livium secutus? cf. M. Grasshof: de fontibus et auctoritate Dionis Cassii Cocceiani, Bonn. 1867, p. 27.

2) Pomp. 52.

3) ep. ad Att. IV. 13, 2.

4) Roem. Zeittaf. p. 249.

5) II. 4, 6.

6) cf. Hofmann. l. l.

7) cf. § 1 fin., § 2: de libris oratoriis factum est a me diligenter e. q. s.; cf. verba extrema: . . ne istuc hospes veniam.

Crassipedis[1]) Crasso videtur epulum dedisse,[2]) inde isse in Tusculanum.

Ep. ad Att. IV. 13.

Schuetzius: scr. in Tusculano exeunte Novembri a. u. c. 699.
Gruber: mense Nov.
Baiter: scr. in Tusculano mense Nov. a. u. c. 699.
Wesenbergius: scr. in Tusculano mense Novembri (post XVII. K. Dec.) a. u. c. 699.

Apparet epistulam scriptam esse post XVII. Kal. Dec., quo autem die Romam Cicero se conferre voluerit, codices inter se discrepant. ut rem brevi praecidam, cod. archetypi lectio fuisse videtur a. d. XIII. Kal., ex qua facillima corruptela fiebat VIII. Kal.: quod cum verum esse non videretur, adscriptum est X, quae (XVIII) est lectio cod. M. aperte falsa. ep. autem propter vicinam urbem a. d. XVI. Kal. Dec. scripta videtur.

Ep. ad fam. XIII. 40: M. Cicero S. D. Q. Anchario Q. F. Procos.

Schuetzius: scr. Romae a. u. c. 698.
Gruber: incertum hoc anno an sequenti.
Baiter: }
Wesenbergius: } scr. Romae a. u. c. 699.

Data est epistula ad Q. Ancharium, qui anno 698 fuit praetor[3]) atque insequenti Pisonem in Macedonia provincia administranda est subsecutus.[4]) quam diu autem eo munere sit functus, non traditum est neque, quis eum sit secutus, notum. cum vero iam anno 698 ut proximo anno Pisoni succederetur sit decretum, sane verisimile est anno 699, quo ille fuit proconsul, epistulam esse scriptam, tum quidem, postquam Piso Macedonia decessit, id quod mense Iunio vel Quintili factum probabile est.[5])

Ad annum a. u. c. 699 praeterea referuntur epistulae ad fam. libri XIII: 43, 44 R. Gallio datae; 45, 46 Appuleio proquaestori; 74 Q. Philippo procos.: Philippum et Gallium

1) cf. p. 17 adn. 1. 2) ep. ad fam. I. 9, 20.
3) Hoelzl l. l. p. 61. 4) Lange III² p. 332.
5) cf. quae supra (p. 33) exposita sunt.

Bergmannus[1]) et Hoelzl[2]) contenderunt hoc anno neque Asiae neque Ciliciae esse potuisse proconsules, sed paulo ante a. 711. de Appuleio proquaestore res plane incerta.

A. a. u. c. 700 (= a. C. 54).

Epistulae ad Qu. fr. II. 9, 10, 11 (= 11, 12, 13 Or.) aptius una videntur tractandae esse disputatione.

Ep. ad Qu. fr. II. 9 (= II. 11 Or.).

Schuetzius: scripta videtur mense Ian. a. u. c. 699.
Gruber: pr. Id.
Hoffa: scr. videtur mense Ian. a. u. c. 700.
Baiter: scr. ineunte mense Febr. a. u. c. 700.
Wesenbergius: scr. ineunte mense Febr. (a. d. III. Id.?) a. u. c. 700.

Ep. ad Qu. fr. II. 10 (= II. 12 Or.).

Schuetzius: scr. Romae Id. Febr. a. u. c. 699.
Gruber: Id. Febr.
Hoffa: scr. Romae Id. Febr. a. u. c. 700.
Baiter: }
Wesenbergius: } scr. Romae Idibus Februariis a. u. c. 700.

Ep. ad Qu. fr. II. 11 (= II. 13 Or.).

Schuetzius: scr. Romae postr. Id. Febr. a. u. c. 699.
Gruber: post Id. Febr.
Hoffa: scr. Romae postr. Id. Febr. a. u. c. 700.
Baiter: }
Wesenbergius: } scr. Romae a. d. XVI. Kal. Martias a. u. c. 700.

Quas tres epistulas mense Febr. scriptas esse apparet ex legatis exterarum gentium commemoratis (9, 2. 10, 2. 11, 3), quibus hoc mense ex lege Gabinia senatus dabatur.[3])

Iam primum videamus, quo die ep. 11 conscripta sit. describuntur, quae Id. facta sunt, litterisque adduntur haec (§ 4): „quoniam tabellarios subministras, hodierni diei res gestas Luper-

1) Philolog. II p. 643.
2) l. l. p. 94 sq.
3) cf. Gruber p. 7; Lange III² p. 203.

calibus[1]) habebis": atque cum et aperte dicat Cicero res gestas paulo post fratrem habiturum et, quoniam is tabellarios praebeat, epistulam proximi diei acta continentem se missurum promittere videatur, „hodiernus dies" postridie Id. intellegendus videtur, quo mane hanc dedit epistulam.

Deinde, quod attinet ad ep. 10, certa temporis ansa, quod quidem viderim, nulla inest; tamen eam Id. esse datam verisimile est, cum et epistulae 10 et 11 insequentibus diebus (cf. ep. 10 § 5 fin.) videantur esse scriptae et minus probabile Ciceronem ep. 10 pr. Id. senatu dimisso dedisse, cum eiusmodi frigus impenderet, ut timeret, ut frater praeberet tabellarios.

Ep. 9 denique cum Wesenbergio a. d. III. Id. Febr. puto scriptam; ex verbis enim (§ 2): „etiam si nihil erit, tamen scribam cotidie aliquid" apparet ep. 9 quam proxime datam esse ante ep. 10: pr. Id. tamen eam scriptam esse propterea non arbitror, quod is dies (§ 2 fin.) inter „reliquos dies" numeratur. cum vero nullam huius temporis epistulam non habere videamur — quod nescio an eis, quae modo dixi, verbis (§ 2 fin.) confirmetur, cum ep. 10 pr. Id. acta contineantur[2]) —, pr. Id. Cicero nullas dedit litteras, fortasse quod tabellarii non erant, quos ut mittat a fratre (ep. 10, 5) petit.

Ubinam Quintus hoc tempore fuerit nescimus neque magni momenti est; certe non longe ab urbe in villa fuit,[3]) cum iam proximo die, quae erant gesta, haberet.

Ep. ad fam. VII. 5: Cicero Caesari Imp. S. D.

Schuetzius: scr. Romae mense Febr. aut Martio a. u. c. 699.
Gruber: Mart.
Suepfle: scr. Romae mense Martio a. u. c. 700.
Frey: Cicero schrieb den Brief in den ersten Monaten d. J. 54.
Baiter: } scr. Romae mense Martio a. u. c. 700.
Wesenbergius: }

1) a. d. XV. Kal. Mart. celebratis, cf. C. I. L. I p. 386 et Marquardt. Roem. Staatsverw. III p. 421 sq.
2) cf. ep. 9 § 1; ep. 10 in.
3) cf. ep. 11 fin.

Haec epistula prima est earum, quae ad C. Trebatium Testam iurisconsultum[1]) pertinent. eum commendat Cicero rogatus a Caesare, ut quem vellet mitteret, qui inter ipsius esset contubernales.[2]) — Caesar Lucio Domitio, Ap. Claudio iam consulibus in Italiam atque conventibus Galliae citerioris peractis in Illyricum se contulerat, quod de Pirustarum incursionibus erat certior factus;[3]) obsidibus acceptis conventibusque habitis in Italiam revertitur, unde — ut videtur nullo maiore temporis spatio interposito — ad exercitum proficiscitur.[4]) cum vero Trebatium in Galliam citeriorem se contulisse consentaneum sit neque in Illyricum, ante mensem Apr. eam epistulam vix scriptam putem, qua ille commendaretur. huc quadrat, quod Pompei in urbe commoratio (et Ciceronis ipsius decedendi dubitatio) diuturnior appellatur (§ 1). num Quintus frater una cum Trebatio ad Caesarem profectus sit,[5]) dubito, quod neque in hac ep. neque in ep. ad fam. VII. 6 ullum habes de eo verbum: tamen Trebatium haud ita multo temporis ante[6]) Roma exisse inde apparet, quod eisdem litteris, quia fratrem et Trebatium misisset, Ciceroni Caesar gratias egit.[7])

Ep. ad Att. IV. 14.

Schuetzius: scr. in villa Cumana mense Maio a. u. c. 699.
Gruber: in. Maio.
Baiter: scr. in Cumano mense Maio a. u. c. 700.
Wesenbergius: scr. in Cumano mense Maio (post VI. Id.) a. u. c. 700.

Vestorius quidam argentarius Puteolanus, Attici et Ciceronis familiaris,[8]) Ciceronem in Cumano[9]) commorantem certiorem

1) de eo imprimis iuris scientiae ratione habita scripsit O. Stange, Berol. 1849.

2) de quibus cf. G. Boissier: Cicéron et ses amis³ p. 244.

3) Caes. b. G. V. 1.

4) ib. c. 2.

5) cf. e. g. Gruber p. 8.

6) Quintus ineunte mense Maio ad Caesarem profectus est, cf. p. 40.

7) cf. ep. ad Qu. fr. II. 13, 3 in.

8) onom. Tull. (M. T. Cic. op. ed. I. C. Orelli. VII) p. 642.

9) ubi libros de re publica scribere instituit (§ 1), cf. ad Qu. fr. II. 12, 1. III. 5 et 6, 1.

fecit de Attico Roma, ut videtur a. d. VI. Id. Maias, profecto,[1]) quas litteras Tullium circ. Id. accepisse verisimile est atque statim hanc ep. Attico dedisse.

Ep. ad Qu. fr. II. 12 (= II. 14 Or.).

Schuetzius: scr. in Cumano vel Pompeiano mense Maio a. u. c. 699.

Gruber: scr. mense Maio.

Suepfle: scr. in Cumano vel Pompeiano mense Maio a. u. c. 700.

Frey: der Brief ist geschrieben im Mai, als Cicero auf seinen Landguetern weilte und Quintus eben nach Gallien gegangen war.

Hoffa:
Baiter:
Wesenbergius: } scr. in Cumano vel Pompeiano mense Maio a. u. c. 700.

Quaerentibus nobis, quonam tempore haec epistula scripta sit, ansam ea praebent, quae in ep. ad Qu. fr. II. 13 (in.) leguntur: „a. d. IV. Non. Iunias, quo die Romam veni e. q. s.“: inde sequitur, ut Cicero[2]) circ. a. d. VI. Kal. Iun. e Cumano vel Pompeiano profectus sit;[3]) ex eo vero, quod scribit (ep. 12, 1): se usque ad Kal. Iunias in iis locis futurum esse, apparet eum nonnullis diebus ante VI. Kal. Iun. (quo sumimus eum illinc profectum esse) has litteras dedisse, quod sex fere diebus ante quam voluisset in urbem rediret. cum has scriberet litteras, duas omnino a fratre (ad Caesarem profecto) epistulas acceperat (§ 1 in.), posteriorem Arimino datam. quamquam autem nescimus, quando Quintus Roma exierit, tamen num qua ratione reperiamus conemur. iam primum, quantum video, nihil obstat, quominus illum nulla maiore interposita mora Ariminum se contulisse arbitremur. hae

1) tradita sunt verba: „Vestorius . . me . . fecit certiorem te Roma a. d. VI. Id. Maias putare profectum esse“ neque adhuc sanata. facile quis crediderit post „putare“ pronomen se esse inserendum atque verba: „a. d. VI. Id. Maias putare se“ παρενθέτως intellegenda: tamen vereor, ut haec coniectura possit probari.

2) qua erat consuetudine proficiscendi, cf. Sternkopf., quaest. chronol. etc. p. 37; O. E. Schmidt.: N. Jahrb. f. Philol. u. Paedag. CXXIX (1884) p. 338.

3) cf. O. E. Schmidt.: de ep. et a Cassio et ad Cassium datis p. 5.

litterae, ut diximus, datae videntur nonnullis quidem diebus ante VI. Kal. Iun. neque tamen multis, cum Cicero in Cumano neminem iam fore putare videatur, cui litteras det, antequam Romam redeat (§ 3); contra post Quinti epistulas acceptas nonnulli dies praeterierant (ib.). si igitur sumimus — quod, opinor, a veritate non ita multum aberit — Ciceronem hanc epistulam scripsisse fere a. d. X. Kal. Iun. et epistulam illam Arimino datam accepisse circ. a. d. XIV. Kal., Quintus fere a. d. IV. Id. Maias Arimini fuit, Roma igitur paulo ante Non. i. e. ineunte mense Maio[1]) profectus est, quo fere tempore Tullius in Cumanum et Pompeianum se contulisse videtur. huc quadrat, quod Quintus a. d. VI. Id. Maias, cum Atticus Roma exiret,[2]) ad Caesarem iam erat profectus. quae cum ita sint, mihi non probatur sententia eorum, qui Quintum mense Martio ad Caesarem isse putent, ut Abeken,[3]) Gruber, Frey.[4]) scripta est epistula in Cumano vel Pompeiano (§ 1), villis parvo inter se distantibus intervallo.

Ep. ad fam. VII. 6: Cicero S. D. Trebatio.

Schuetzius: scr. Romae mense Martio a. u. c. 699.
Gruber: Mai.
Suepfle: scr. Romae mense Maio a. u. c. 700.
Frey: der Brief ist im Mai 54 geschrieben, als Caesar im Begriff stand, seinen zweiten Feldzug nach Britannien anzutreten.
Baiter: }
Wesenbergius: } scr. Romae mense Maio a. u. c. 700.

Epistula scripta est aliquanto post ep. VII. 5, quod Balbus interim ad Caesarem profectus eique Trebatius iam saepius, ut videtur, erat commendatus; data est, quo tempore Caesar ad exercitum profecturus erat, tamen antequam Cicero eius litteras accepisset, quibus gratias ageret, quod Trebatium ad se misisset:[5])

1) Drumann. VI p. 733; quod nescio an totius ep. colore confirmetur.
2) ad Att. IV. 14, 1.
3) Cicero in seinen Briefen, Hannov. 1835, p. 160 adn. 1.
4) Einleitg. p. 9; is sibi non satis constans fuit p. 64 ad ep. XVIIII.
5) cf. ep. ad Qu. fr. II. 13, 3.

mense igitur Maio ut videtur exeunte, antequam Tullius Romam rediret.

Ep. ad. Qu. fr. II. 13 (= II. 15a Or.).

Schuetzius: scr. Romae mense Iun. a. u. c. 699.
Gruber: post Non. Iun.
Suepfle: scr. Romae post Non. Iun. a. u. c. 700.
Frey: der Brief ist im Juni aus Rom geschrieben.
Hoffa: } scr. Romae mense Iun. a. u. c. 700.
Baiter: }
Wesenbergius: scr. Romae ineunte mense Iun. a. u. c. 700.

Ad tempus epistulae conscriptae investigandum quae initio leguntur sane incerta esse nihil refert: „postridie" quidem certe non nisi diem, quo Tullius alteras litteras accepit, significare potest,[1]) non, ut Gruber, Wesenbergius voluerunt, quo dedit Quintus; quo enim die priores litterae scriptae essent cum non esset commemoratum, apte non poterat addi alteras postridie esse datas. accepit igitur Cicero alteram epistulam a. d. III. Non. Iun., datam fortasse Laude,[2]) una[3]) cum Caesaris litteris. quamquam quando haec scripta sit epistula, accurate explicari videtur non posse, cum nihil insit, quo usi aliquid proficiamus: tamen Ciceronem, cum ad epistulas a. d. IIII. et III. Non. acceptas rescriberet neque quicquam de maiore temporis spatio interposito adderet, circ. Non. vel paulo post has litteras dedisse putem.

Quintus, ut diximus, ineunte mense Maio ad Caesarem se contulerat; epistulam Arimino paulo ante Idus Maias dederat; quas Tullius Placentia datas a. d. IIII. Non. accepit litteras, fere a. d. VII. Kal. Iun. erant scriptae: quapropter sive Arimini sive Placentiae sive loco quodam interiecto illum longius temporis spatium commoratum esse apparet. quando autem et ubi ad Caesarem pervenerit, incertum; crediderim tamen Placentiae,

1) cf. Bergk. l. l. p. 615 adn. 1.

2) e Sigonii coniectura; quam quod Bergkius l. l. ideo minus ducit probabilem, quod Caesarem iam Laude iter Placentiae susceptum interrupisse minus credibile sit, inde non sequitur, ut illinc non potuerit litteras dare.

3) an id ipsum sub litteris obscuris delitescit?

cum Caesarem non multo post Quinti adventum litteras illas dedisse appareat neque tamen diu adhuc cum illo versatum esse, quod tum sane una cum Quinti litteris prioribus suas Romam misisset.

Ep. ad fam. VII. 7: Cicero Trebatio.

Schuetzius: scr. Romae mense Aprili a. u. c. 699.
Gruber: (Mai.).
Suepfle: scr. Romae mense Maio a. u. c. 700.
Baiter: } scr. Romae mense Maio a. u. c. 700.
Wesenbergius: }

Cum haec epistula scripta est, aliquid temporis ab ep. VII. 6 scripta intercessisse verisimile est (§ 1): quapropter eam exeunte fere mense Iunio datam arbitror, quod tempus nescio an confirmetur verbis his (§ 1): „in Britannia nihil esse audio neque auri neque argenti", quae eadem fere in ep. ad Att. IV. 16, 13 (7) leguntur ineunte mense Quintili scripta: „. . . etiam illud iam cognitum est neque argenti scripulum esse ullum in illa insula neque ullam spem praedae nisi ex mancipiis."[1]) viris doctis mense Maio eam epistulam scriptam arbitratis id quoque obstare mihi videtur, quod Cicero a fratre sibi litteras aliquoties allatas esse scribit: nam praeter duas illas epistulas (cf. ep. ad. Qu. fr. II. 12, 1) ante mensem Iunium (cf. ep. 13, 1) nullas accepisse videtur.

Ordinem epistularum libri ad Atticum quarti exeuntis mire perturbatum Theodor. Mommsenus[2]) acutissime atque, ut mihi videtur, rectissime restituit, cum confusionem e transpositione archetypi codicis foliorum ortam esse intellexisset; neque solis argumentis ex rebus narratis petitis sententiam fulsit, sed ipsa cod. Medicei dispositione, quam adscribit hanc:

ep. ad Att. IV. 16 §§ 1—5, 6—12
17 § 3
17 §§ 1, 2
16 §§ 13—15

1) sic verbis illis quodammodo Mommseni ep. ad Att. IV. 16 constitutio comprobatur. 2) Zeitschr. f. Alterthumswissensch. 1845, nr. 98, p. 780 sq.; cf. supra p. 17 adn. 3.

18 §§ 1, 2, 3:

valde igitur a Bosio, quem, ut alios omittam, Orellius est secutus, diversam. ut difficultates removeret, Mommsenus rem sic instituit, ut lacunis post verba: . . . QVICVNQVE POSTHAC, non mihi ut . . . in ep. 16, 6 in. et in ep. 17, 1 post verba . . inde absolutum Gabinium. † detur e. q. s. detectis partem interpositam ep. 16 §§ 6—12, 17 § 3, 17 § 1 continentem post ep. 18 § 2 poneret, ut haec exsisteret dispositio:

ep. 16 §§ 1—5
17 § 2
16 §§ 13—15;
18 §§ 1, 2
16 §§ 6—8; 9—12
17 § 3;
17 § 1
18 § 3,

vel simplicitate rationis probata; neque opus videtur causas,[1]) quibus adductus est Mommsenus, ut hunc ordinem proponeret, repetere, quod, cum antea res aperte contrariae eadem contineantur epistula, qui hac leget dispositione, nulla re offendetur. e tribus epistulis vir ille doctus fecit quattuor, cum § 9 sq. ep. 16, in quibus de Gabinio absoluto agitur, ab eis, quae antecedunt, ad mensem Sept. spectantibus necessario essent seiungendae. — eo quem Gruber (p. 8 sq.) altius repetivit ordine:

ep. 16 §§ 4, 5, 15
18 §§ 1, 2, 3 usque ad „licentiae“
16 §§ 1—3, 6—8, 13, 14
16 §§ 9—12
17
18 § 3 fin.

ne omnes quidem expediuntur difficultates: e. g. ep. 17 putat vitio intactam. quae cum ita sint, Schuetzii et Gruberi de temporibus sententias missas faciam. — cum vero ep. 15 quae exeunte mense Quintili gesta sunt enarrentur, ep. 16 autem quae ineunte, hanc ante tractemus oportet.

1) a Bootio in edit. breviter enarratas.

Ep. ad Att. IV. 16:[1] (= IV. 16 §§ 1—5; 17 § 2; 16 §§ 13—15 Or.).

Baiter: }
Wesenbergius: } scr. Romae mense Quintili a. u. c. 700.

Ex temporis notatione de Drusi et Catonis iudiciis (§ 5; cf. ep. 15 § 4) apparet epistulam ineunte mense Quintili esse scriptam. sunt tamen, quae huic sententiae obstare videantur, dico verba haec (§ 6 = ep. 17, 2 Or.): „Scaurum Triarius reum fecit", quod Asconio teste factum est „pridie[2]) Nonas Quintil. post diem tertium quam Cato erat absolutus": quae si vera sint, Mommseni ep. 16 constitutio stare non possit; contra eis ipsis rebus, quae in ep. 16 (§ 6) enarrantur, eam stabiliri crediderim. nam pridie Non. Quintil. Scaurum reum factum esse Cicero non nisi in ep. 15 scribere potuit: contra id temporis Atticus de Scauro accusato iam erat certior factus;[3]) inde apparet, cum in ipsa ep. 15 lacuna detegi non possit, accusationem ante res ibi traditas esse factam.[4]) huc accedit, quod, quae in ep. 16 (§ 6) leguntur, antecedunt eis, quae habes in ep. 15 (§ 7): nam cum illic candidati consulares prorsus pares appellarentur, hic Memmium cum Domitio consules coitione iunxerunt, qua Messalla excluderetur. quae cum ita sint, elucet et Mommseni constitutionem esse veram neque Asconio hac in re fidem esse habendam. quomodo vitium ortum sit, haud facile potest diiudicari. verba: „post diem tertium quam Cato erat absolutus" computatione inventa esse manifestum est, certe igitur a. d. IIII. Non. Quint. C. Catonem absolutum esse ille scripsit.[5]) quod autem attinet ad verba „pridie Nonas Quintil.,"

1) numeris utar Mommsenianis.

2) haec est lectio codicum omnium, cf. edit. Asconii, quam Kiessling. et Schoell. curaverunt p. 17, 2; non postridie Non., ut est apud Orellium V 2, p. 19, 9.

3) ep. 15 § 9: Messius defendebatur a nobis . . .; deinde me expedio ad Drusum, inde ad Scaurum.

4) Wesenbergius in ep. 16, 6 exhibet: Scaurum Triarius reum facit: num consulto incertum, cum ne verbum quidem addat. sed ne forte cum eo verbum facit pro faciet vel facturus est accipias, ea quae sequuntur obstant: si quaeris, nulla est magno opere commota συμπάθεια e. q. s., quae non nisi Scauro postulato possunt esse scripta.

5) sic (IIII. Non.) optimi Asconii codices: Sozomenus et Bartolomaeus,

licet Asconius inspexerit acta, Non. pro Kal. eum falso scripsisse putem. Scaurus igitur ipso illo die, quo e provincia revertit, i. e. a. d. III. Kal. Quint., statim se candidatum consulatus professus proximo die repetundarum postulatus est,[1]) neque tamen honorem petere destitit. — restat tamen una difficultas, quod Cicero in ep. 15 § 4, cum C. Catonis iudicium describit, ne verbum quidem facit de eius patronis: M. Scauro[2]) et C. Licinio Macro Calvo,[3]) cum eum accusarit C. Asinius Pollio:[4]) sed nonne saepissime videmus, qua neglegentia Cicero in iudiciis enarrandis fuerit? ut unum afferam: in ep. 15, 9 Attico scribit de Messio a se defendendo; tamen a quo aut cuius rei is sit accusatus non addit: nimirum ea scripsit, quae Atticum putabat ab ipso potissimum velle cognoscere;[5]) praeterea Atticum de rebus Romae gestis a suis certiorem factum esse apparet. ceterum hic C. Catonis patronorum atque accusatorum notitiam quandam habuisse videtur (cf. ep. 16, 5).

Sed revertamur, unde digressi sumus, ad tempus ep. 16 conscriptae definiendum. quae de Asconii errore protuli si vera sunt, non est cur dubitemus, quin litterae Kal. Quint. vel postridie sint datae, ut diximus, post Scaurum postulatum (§ 6) et ante iudices a Druso reiectos (§ 5).

---

cf. Kiessling-Schoell. praef. p. XXX; praeterea conferenda, quae de ea re Rau disputavit (variarum lectionum liber ad Cic. orat. pertinens I p. 98 sq.) et imprimis Herm. Gaumitz (de M. Aemilii Scauri causa repetundarum etc., Leipz. Stud. II p. 251 sq.). is dies (IIII. Non.) apud Cic. (ep. ad Att. IV. 15, 4) quoque legendus est numeri II notis cum simillimis numeri V (III : IV) commutatis (vide p. 18 adn. 1), cf. Gaumitz l. l. p. 254, cum in singulis diebus qua diligentia fuerit Asconius, luculentissimum exemplum exstet in argumento Milonianae, Kiessling-Schoell. p. 27, 12. quamquam de diei nota antiqua non constat (cf. Mommsen., C. I. L. I p. 372), sed NP sigla imperatoria demum aetate instituta est: tamen etiamsi cum L. Langio (1^3 p. 356) eum diem nefastum putamus, eo causae publicae poterant agi, cf. O. E. Hartmann., ordo iudiciorum, p. 25 adn. 29.

1) cf. Gaumitz l. l. p. 254.

2) Ascon. 16, 17 (K.—S.).

3) Senec. controv. VII. (19, 7), ed. Kiessling. p. 331; cf. Meyer, orat. Rom. fgm. p. 478 sq.

4) Tac. dial. 34, cf. Thorbecke: de C. Asinii Pollionis vita et studiis doctrinae p. 67.

5) cf. ad Att. IV. 1, 4.

Ep. ad Qu. fr. II. 14 (= II. 15b Or.).

Schuetzius: scr. Romae mense Quintili a. u. c. 699.
Gruber: post Id. Iun.
Hoffa:, Baiter: scr. Romae mense Quintili a. u. c. 700.
Wesenbergius: scr. Romae mense Quintili (VI. Kal. Sext.?) a. u. c. 700.

Seiungendas esse has litteras a superioribus Quinto datis iam Manutius obtinuit, atque manifestum est et verba: calamo e. q. s. novae epistulae esse initium et in utraque de rebus prorsus diversis agi. quod ad tempus attinet, Wesenbergius[1]) hanc epistulam „sine dubio eodem die scriptam putat atque ep. ad Att. IV. 15", hanc autem ipsam VI. Kal. Sext., nimirum quod in utraque eadem fere insint. neque tamen cum eo plane faciam, quia Cicero accuratiorem rerum notitiam in ep. illa ad Atticum habere videtur: addit diem comitiis habendis destinatum; suspenso animo exspectat, quid frater, quem in Britannia iam esse suspicatur, agat: nihil harum rerum habes in ep. ad fratrem, ubi — si quidem plena est — deesse vix poterant; quapropter hanc epistulam cum Bootio[2]) paucis diebus ante ep. ad Att. IV. 15 (i. e. ante a. d. VI. Kal. Sext.) datam arbitror, antequam Cicero fratris litteras, de quibus scribit (ad Att. IV. 15, 10), accepisset. mihi quidem persuasum est, si eas tum iam habuisset, eum aliquo modo navigationis atque totius expeditionis mentionem facturum fuisse.

Ep. ad Att. IV. 15.

Schuetzius: scr. Romae IV. Kal. Sext. a. u. c. 699.
Gruber: IV. Kal. Sext.
Baiter: scr. Romae IV. Kal. Sextiles a. u. c. 700.
Wesenbergius: scr. Romae VI. Kal. Sextiles a. u. c. 700.

Mirum in modum Schuetzius eiusque sectatores erraverunt a. d. IV. Kal. Sext. epistulam scriptam esse adnotantes, cum Cicero comitia facta V. Kal. Sext. se perscripturum promitteret (§ 8); et cum timeret, ne tabellarius mox proficisceretur (ib.), eum

1) emendat. alterae . . Lips. 1873 p. 71.
2) ad ep. IV. 15, 7.

comitia eodem die, quo essent facta, perscribere voluisse manifestum est, i. e. V. Kal. Sext.; ea autem epistula, de qua disputamus, pridie data est quam comitia futura erant,[1]) ergo a. d. VI. Kal. Sext.; itaque Bergkio[2]) non assentior neganti tempus, quo sit data epistula, accurate explicari posse.

Ep. ad fam. VII. 8: Cicero Trebatio.

Schuetzius: scr. mense Maio a. u. c. 699.
Gruber: post Non. Iun.
Baiter: }
Wesenbergius: } scr. Romae mense Iunio a. u. c. 700.

Epistulae conscriptae temporis definiendi ansam praebet ep. ad Att. IV. 15 § 10: „ex Q. fratris litteris suspicor iam eum esse in Britannia", quae scripta sunt VI. Kal. Sext.; his plane similia sunt, quae in hac epistula leguntur: „ego vestras Britannicas litteras exspecto": litteras igitur exeunte fere mense Quintili Ciceronem dedisse putem paulo post ep. ad Qu. fr. II. 14 et ad Att. IV. 15 missas, postquam Caesaris litteras accepit, quibus is declararat, quomodo (ineunte mense Quintili) in expeditione Britannica apparanda esset occupatus. tamen Corus ventus navigationem dies circiter XXV impediebat.[3])

Ep. ad Qu. fr. II. 15 (= II. 16 Or.).

Schuetzius: scr. Romae mense Sextili a. u. c. 699.
Gruber: Sext.
Hoffa: }
Baiter: } scr. Romae mense Sextili a. u. c. 700.
Wesenbergius: scr. Romae exeunte mense Sextili a. u. c. 700.

Quaestio, quonam tempore epistula data sit, arte coniuncta est cum altera, ut videtur, pro certo vix absolvenda, i. e. de tempore, quo Caesar alteram contra Britannos susceperit expeditionem. difficultas enim inde nascitur, quod de diebus annorum a. u. c. cum Iulianis inter se comparandis adhuc valde

1) cf. Gaumitz l. l. p. 255 adn. 3.
2) l. l. p. 620.
3) Caes. b. G. V. 7, 3.

dubitatur. itaque quamquam Napoleo[1]) accuratissime exposuit rerum naturae ratione habita transmissionem non nisi aut 6. Iul. aut 20. Iul. (anni Iuliani) factam esse posse, quinam hi dies fuerint anni a. u. c. 700 non liquet. 6. Iul. respondet secundum computationem:

Ideleri,[2]) Korbii[3]): III. Kal. Sextil.
Zumptii,[4]) Bergkii[5],) Matzatii[6]): pr. Kal. Sextil.
Ungeri[7]): IV. Kal. Sextil.;

quos viros doctos si sequimur, transmissio non nisi 6. Iul. facta esse potest. restat alia computandi via, quam chronologus quidam Gallicus (Leverrier) ingressus 6. Iul. putat esse VIII. Id. Quint., 20. Iul. XI. Kal. Sextil.; quem secutus Napoleo l. l. (fine ep. ad Att. IV. 15 commotus) navigationem XI. Kal. Sext. factam arbitratur eique assentiuntur H. I. Heller[8]) atque, ut videtur, Goeler[9]) Helleri verba repetens.

Bergkius[10]) expeditionis spatium reputans usque ad id temporis, quo Caesar ad mare accessit, i. e. Kal. Sept.,[11]) XXXI dies suffecisse arbitratur, Napoleo[12]) autem XL, fortasse rectius, cum e. g. Caesar ab oppido Cassivellauni triduo ad mare vix posset pervenire: quapropter plus minusve XXXV dierum spatium verum esse videtur: quo detracto expeditionem invenimus susceptam circ. a. d. VII. Kal. Sext.; quamquam rem tam difficilem

---

1) histoire de Jules César II p. 197 sq.
2) Handb. der mathem. u. techn. Chronol. II p. 116.
3) M. T. Cic. opera ed. I. C. Orelli. VI p. 166.
4) Jahrb. f. cl. Philol. Supplbd. VII (1873—75) p. 597.
5) ib. Supplbd. XIII (1884) p. 614 sq.: hic non satis constanter sibi rem tractavit: cum enim e. g. (p. 622) IIII. Id. Sext. anni a. u. c. 700 cum 14. Iul. anni a. C. 54 congruere contenderit, paulo post a. d. XIII. Kal. Sept. confert cum 24. Iul.; simili modo p. 625 VI. Kal. Oct. putat respondere 29. Aug., contra VI. Id. Oct. 9. Sept.: debebat autem hunc diem comparare cum 12. Sept. aut illum cum 26. Aug.
6) Roem. Chronol. I p. 70.
7) Neue Jahrb. f. Philol. u. Paed. CXXIX p. 585 sq.
8) Philolog. XXVI (1867) p. 676 sq.
9) Caesars gall. Krieg und Theile seines Buergerkrieges² p. 167 sq.
10) l. l. p. 626.
11) Caes. b. G. V. 23, 1 coll. ep. ad Qu. fr. III. 1, 7, 25.
12) l. l. p. 199.

diiudicare non ausim. cum vero tabellarii ex Britannia Romam tricesimo fere die pervenirent,[1]) facile vides ultimis demum mensis Sextilis diebus Quinti epistulam (§ 4 ep.) in urbem afferri potuisse. — quo die Cicero hanc dedit epistulam, eo Vatinium defensurus erat, cum Drusus iam esset absolutus (§ 3); Scauri iudicium statim exercitum iri nuntiat, cuius summus dies fuit Asconio teste[2]) a. d. IIII. Non. Sept.; quae cum ita sint ac praeterea admodum dubium, num et celeriter Romam litterae illae Britannicae translatae sint et eodem die, quo eas accepisset, Tullius rescripserit, hanc epistulam mense Sextili iam vergente[3]) datam putem; quo tempore Drusus et Vatinius sunt absoluti.[4])

Liceat mihi hic paulo accuratius disserere, quando oratio pro Cn. Plancio de sodaliciis reo[5]) habita sit; quam, quod sciam, omnes viri docti praeter unum Hartmannum[6]) ante ludos Romanos[7]) Ciceronem dixisse putarunt.[8]) agitur imprimis de verbis his (34, 83): „sed haec nescio quo modo frequenter in me congessisti, saneque in eo creber fuisti: te idcirco in ludos causam conicere noluisse, ne ego mea consuetudine aliquid de tensis misericordiae causa dicerem, quod in aliis aedilibus ante fecissem. non nihil egisti hoc loco; nam mihi eripuisti ornamentum orationis meae: deridebor, si mentionem tensarum fecero, cum tu id praedixeris: sine tensis autem quid potero dicere?“ de quibus explicandis Wunder[9]) fere desperavit; cuius in animo scrupulus maxime is residebat, num in ipsis ludis Romanis iudicium de sodaliciis exerceri licuisset:[10]) quod fieri potuisse nos docuerunt Hartmannus[11]) et Zumptius.[12]) — sed videamus

1) Bardt. l. l. p. 33; O. E. Schmidt. l. l. p. 6.
2) K.—S. p. 16, 5.
3) cf. § 3 ep.
4) neque exeunte mense Quintili, cf. Lange III² p. 348 sq.
5) schol. Bob. (Or. V 2) p. 253.
6) in libro, quem inscripsit: ordo iudiciorum p. 126 adn. 14.
7) pr. Non. Sept. usque ad a. d. XII. K. Oct. celebratos, C. I. L. I p. 401.
8) cf. e. g. Lange l. l. p. 349; Kiessling-Schöll l. l. prol. p. XV.
9) in edit. orationis p. 203; cf. ib. prol. p. LXIX.
10) neque cur ille dubitaverit refellit Drumannus VI p. 62⁵⁹.
11) l. l.
12) Criminalprozess d. roem. Republ. p. 121.

ipsi. obiecerat igitur Laterensis Ciceroni, cum si l u d i s pro aedilibus diceret, pro ornamento orationis de tensis misericordiae causa dicere consuevisse: quod ne tum liceret, se causam in ludos conicere noluisse. concedere quidem se simulat Tullius lumen quoddam orationis sibi esse detractum, quod sibi tum de tensis dicere non liceret, cum id Laterensis praedixisset: quid autem praedixerat ille? nimirum, cum res l u d i s ageretur, de tensis Ciceronem dicturum. locum igitur illum interpretandum puto sic: „frequenter mihi obiecisti me in orationibus, quas l u d i s pro aedilibus haberem, nihil posse dicere nisi de tensis: quod cum tu praedixeris, ornamentum illud orationis sane mihi eripuisti: nunc vero (sc. ludis) sine tensis quid potero dicere?" hac una explicatione salis aliquid loco aspergi videtur.

Huic argumento, ut mihi quidem videtur, gravissimo addam duo: alterum quod Cicero in ep. ad Qu. fr. III. 1, 4, 11 fratri scribit haec: „orationes efflagitatas pro Scauro et pro Plancio absolvi", Plancium igitur post Scaurum defendisse videtur, ut diximus, post IV. Non. Sept.:[1]) alterum illud est, quod in ep. ad Qu. fr. II. 15, 3 Plancii mentio non fit; quod autem tum Scauri iudicium statim exercitum iri scribit, hunc certe Cicero proxime erat defensurus; consulto enim Plancium omissum esse non crediderim, cum Quintus de eius causa iam antea esset certior factus in epistula, ut videtur, perdita (nam inter epistulas libri II. 13 et 14 complures excidisse per se verisimile est).[2])

Restat tamen difficultas in orationis ipsius verbis his (16, 40): „. . . apud eosque (sc. iudices) me, ne quinque quidem reiectis, quod in proximo reo de consilii sententia constitutum

---

1) quae cum ita sint, mihi non probatur sententia Kiesslingii et Schoellii l. l. p. XIV sq., quippe qui ex adnotatione Asconii in principio Scaurianae collegerint et post Vatinianam et ante Scaurianam aliam orationem a Cicerone esse habitam et eam fuisse Plancianam (cf. p. sq.). id quidem apparet Asconium post Vatinianam et ante Scaurianam aliam Ciceronis orationem enarrasse: sequitur, ut ille aut, si re vera temporum ordinem religiose secutus est, erraverit, aut, quod praestare videtur, in universum quidem tempora respexerit, sed intra unius anni spatium paulo liberius egerit: fortasse eiusdem generis orationes coniunxit, sic hic, quod temporum ratione habita optime fieri potuit, Vatinium cum Plancio, quorum uterque de sodaliciis erat accusatus.

2) vel ex Caesaris litteris compererat, cf. ad Qu. fr. III. 1, 3, 10.

est, cogas causam de fortunis omnibus dicere?“ proximum illum reum P. Vatinium fuisse traditum est.[1]) eum tamen non omnino proxime defendisse Ciceronem, sed proxime de sodaliciis reum[2]) et ex scholii verbis concluserim: „iam de sodaliciis causam dixerat P. Vatinius eodem defendente M. Cicerone“ et ex Cicerone ipso, cum appareat eum cum Plancio non quem proxime defenderit comparare, sed proximum eiusdem criminis accusatum.[3])

Quae cum ita sint, dubitari vix poterit, quin Cicero orationem illam ludis Romanis[4]) habuerit; cum vero sciamus eum a. d. IV. Id. Sept. in Arcano fuisse[5]) et iam antea in Arpinati, eum paucis diebus ante Roma egressum esse manifestum: pro Plancio igitur dixisse videtur circ. Non. Sept.

Ep. ad fam. V. 8: M. Cicero S. O. M. Licinio P. F. Crasso.

Schuetzius: scr. Romae mense Febr. a. u. c. 699.

Gruber: Ian. (in qua Cicero videtur scribere de Crasso defenso contra consulum, ut propter neglecta auspicia revocaretur, rogationem, quam sine dubio statim ineuntes tulerant).

Suepfle: scr. mense Ian. Romae a. u. c. 700.

Baiter: }
Wesenbergius: } scr. mense Ianuario a. u. c. 700.

Epistula in numero earum habetur, de quibus certi quicquam vix posse dici videatur. sed quod eius fieri possit, spectemus: anno 700 (non exeunte anno 699) litteras datas esse inde constat, quod de contentione cum consulibus et cum multis consularibus Cicero scribit (§ 1), neque tamen anno exeunte, quod de P. Crassi (adhuc Romae commorantis) in Syriam profectione ne verbum quidem facit, qui Plutarcho[6]) auctore

---

1) schol. Bob. (Or. V 2) p. 262.

2) ib., cf. p. 322.

3) item iudicasse video Zumpt. l. l. p. 547.

4) de tensarum pompa his ludis facta cf. L. Friedländer. apud I. Marquardt.: Roem. Staatsverw. III p. 488 sq.

5) cf. ep. ad Qu. fr. III. 1 in.

6) vit. Crass. 17.

cum militibus a Caesare missis, postquam in hiberna ventum est, a patre exspectabatur eumque per hiemem ex hostium spoliis se ditantem comitabatur:[1]) quapropter autumno fere Roma eum profectum esse verisimile est et aliquanto antea has litteras scriptas. huc quadrat, quod Crassum Cicero, cum salutat, nondum appellat imperatorem, quem titulum ille exeunte aestate accepisse videtur.[2])

Quaenam ea Crassi causa fuerit, quam Cicero in senatu defenderet, nescimus neque eius nisi hoc loco atque in ep. ad fam. I. 9, 20 mentio fit. ibi Lentulo exponit Tullius se Pompeio atque Caesare auctoribus cum Crasso in gratiam rediisse ac propterea eius causam diligentissime suscepisse, id quod Lentulus se audisse scripserat. quod fecit, postquam de Vatinio a Cicerone defenso certior iam est factus (cf. ib. § 4); et re vera aliquo modo in Lentuli litteris Vatinium cum Crasso coniunctum fuisse apparet ex ep. illius § 19 in. et § 20 in.; ostendisse igitur videtur scire se velle, quaenam causa fuisset, cur Cicero cum Vatinio et Crasso non modo praeter omnium opinionem in gratiam rediisset, sed etiam utrumque defendisset. quodsi sumimus non longius temporis spatium Lentulum epistularum commercium interrupisse,[3]) cum Vatinius exeunte mense Sextili absolveretur,[4]) eodem fere tempore[5]) pro Crasso Ciceronem dixisse arbitror. qua tamen occasione oblata consules in Crassum invecti sint, investigari vix poterit.[6])

Ep. ad Qu. fr. III. 1.

Schuetzius: scr. partim in Arpinati, partim Romae mense Sept. 699.

---

1) ib.; cf. 18 in.

2) ib.

3) cf. ep. ad fam. I. 9, 26; ideo enim tam fuse tamque copiose Cicero scribit, ut omnes agendi ostendat rationes.

4) cf. p. 49.

5) cf. ep. ad. Qu. fr. II. 15, 1.

6) L. Lange (III² p. 354 sq.) de ea re in senatu actum arbitratus, postquam Gabinium legatum a Crasso successorem sibi missum reiecisse Romae innotuisset (cf. C. Dio 39, 60), epistulam aliquanto ante scriptam putet necesse est, cum exeunte demum vere legatum a Crasso in Syriam missum esse vix credibile sit.

Gruber: III. Kal. Oct.
Hoffa: scr. partim in Arpinati, partim Romae mense Sept. a. u. c. 700.
Baiter: scr. mense Sept. a. u. c. 700.
Wesenbergius: scr. mense Sept. (dat. a. d. III. Kal. Oct.) a. u. c. 700.

Epistula perquam longa diversis et locis et diebus est scripta: pars prior usque ad verba § 14: „. . . nunc domus suppeditat mihi hortorum amoenitatem" in Arpinati, pars altera Romae. quod ad tempus attinet, ea quam dixi pars in Arpinati conscripta videtur — cum Cicero qua erat proficiscendi tarditate iter ex Arpinati Romam non uno die conficere soleret, sed in Anagnino maneret[1]) — a. d. XVII. vel XVI. Kal. Oct., pars insequens, cum Romam a. d. XIII. Kal. Oct. revertisset, usque ad § 22 fin., ut videtur, a. d. XI. Kal. Oct., partim ipsius manu, partim Tironis, reliqua a. d. III. Kal. Oct. (§ 24): quae nisi postridie IV. Kal. Oct. scripsisset, adverbio „hodie" dies erat addendus.

Pauca hic addere liceat de eis, quae Bergkius l. l. de his litteris disseruit: primum[2]) verba (§ 17) haec: „tabellarii a vobis venerunt a. d. XI. Kal. septembr. vicesimo die" aperte quidem falsa, sed viginti fere abhinc annos rectissime a Bardtio[3]) sic emendata: „a. d. XI. Kal. septimo vicesimo die" sanare conatus est, cum a. d. XI. Kal. Oct. (cum Manutio) tricesimo die scriberet. — deinde quaesivit, quo tempore Iulia, Caesaris filia Pompeique uxor, de vita decessisset; quod eius computatione factum est exeunte mense Iul. vel ineunte Aug., i. e. mense Sextili exeunte anni 700 a. u.; eandem sententiam habes apud L. Langium.[4]) Iulia adhuc in vivis fuisse videtur, cum Cicero ep. ad Qu. fr. II. 15 scriberet, ubi nullum verbum de Caesaris luctu; sed eam perpaucis diebus post mortuam esse inde apparet, quod cum Tullius paulo post Non. Sept.[5]) urbe egrederetur iam obiisse videtur.[6]) nam ante ep. ad Qu. fr. III. 1 litteras quas-

1) cf. p. 39 adn. 2. 2) l. l. p. 622 adn. 2.

3) l. l. p. 32 sq., cui assentitur O. E. Schmidt. l. l. p. 6.

4) III² p. 352; cf. Drumann. III p. 317; Nissen. apud H. v. Sybel.: histor. Zeitschr. XLIV (1880) p. 442.

5) cf. p. 51 ad ep. ad Qu. fr. II. 15.

6) cf. ep. ad Qu. fr. III. 1, 5, 17; 7, 25.

dam excidisse verisimile est,[1]) quibus fratrem Cicero de Iulia mortua, de Scauro et Plancio absolutis[2]) certiorem fecit.[3])

Quae tum[4]) vir ille doctus de explicandis epistulis ad Att. IV. 16 (§ 13 Or.) et ad Qu. fr. III. 1, 5, 17 sq. addit, irrita eo fiunt, quod iis perversum epistularum ad Atticum ordinem sequitur.

Ep. ad fam. VII. 9: Cicero Trebatio.

Schuetzius: scr. Romae initio mensis Sextil. a. u. c. 699.
Gruber: Sext.
Baiter: }
Wesenbergius: } scr. Romae mense Sextili a. u. c. 700.

Per duos menses epistularum commercium Cicero intermiserat, quod ubinam Trebatius esset, nesciebat. litterae igitur exeunte mense Sept.[5]) datae videntur, fortasse una cum ep. ad Qu. fr. III. 1 a. d. III. Kal. Oct., cum per totum fere mensem Septembrem non esset, qui litteras in illas regiones perferret.[6]) quod comprobatur verbis his (§ 1): „ad eum (sc. Caesarem) propter eius luctum[7]) nihil sum ausus scribere“ collata epistula ad Qu. fr. III. 1, 7, 25 extr.: „ad eas ego ei (sc. Caesari) litteras nihil rescripsi, ne gratulandi quidem causa, propter eius luctum.“

Ep. ad Att. IV. 17 (= IV. 18 §§ 1, 2, 3 in.; 16 §§ 6—8 Or.).

Litterae sunt scriptae pr. Kal. Oct. (usque ad verba: multarum nundinarum fore, § 4) et Kal. Oct. ante lucem, ut in ipsa epistula legimus (§ 4). quamquam huic terminationi illud obstare videtur, quod quis ex verbis (§ 3): „ . . . intellegebamus

---

1) cf. Bergk. l. l. p. 624.

2) nam de hac quoque re in ep. ad Qu. fr. III. 1 verbum nullum, sed res quasi notae tractantur.

3) e Bergkii computatione Iulia circ. V. Kal. Sept. anni a. u. 700 mortua est: quodsi re vera ep. ad Qu. fr. II. 15 ante scripta est, facile vides eo quod superest dierum spatio (Kal. Sext. — ante V. Kal. Sept.; cf. p. 48; 49 in. et adn. 1) Quinti epistulam illam ex Britannia Romam transferri vix potuisse.

4) l. l. p. 624 sq.

5) cf. p. 47.

6) postea ep. datam arbitratur Bergkius l. l. p. 623 adn. 4, num iure dubitem.

7) sic lacunam optime explevit Victorius coll. ep. ad Qu. fr. III. 1 extr.

enuntiationem illam Memmii valde Caesari displicere" coniecerit ex Caesaris litteris quibusdam id esse intellectum. quod temporum ratione habita fieri non potuit, quia enuntiatio illa post mensem Sextilem, i. e. post ep. ad Qu. fr. II. 15 § 2,[1]) facta est, unde sequitur, ut ille rescribere nondum potuerit. verba igitur illa sic explicanda videntur: enuntiationem Memmii intellegebamus valde esse praeter Caesaris voluntatem;[2]) nimirum, cum antea Memmio studuisset (cf. ep. ad Att. IV. 16, 6; 15, 7) atque consulum coitionem sic fere probasset, pactionis illius Pompeio auctore proditae eum valde pigebat.

Ep. ad Qu. fr. III. 2.

Viri docti plane inter se consentiunt, cum hanc epistulam a. d. V. Id. Oct. scriptam esse putent, neque est cur obloquamur.

Ep. ad Qu. fr. III. 3.

Schuetzius: scr. Romae circa Id. Octobr. a. u. c. 699.
Gruber: XII. Kal. Nov.
Hoffa: scr. Romae circa Id. Octobr. a. u. c. 700.
Baiter: scr. Romae mense Octobri a. u. c. 700.
Wesenbergius: scr. Romae mense Octobri (a. d. XII. Kal. Nov.?) 700.

Quaestio, quonam die epistula data sit, cohaeret cum iudicio Gabinii maiestatis a L. Cornelio Lentulo accusati; quem cum in ep. 4 in. (a. d. IX. Kal. Nov. data) Tullius fratri absolutum nuntiet atque epistula illa postridie eius diei, quo esset iudicium, scripta videatur (cf. ep. 4, 6), causa iudicata est a. d. X. Kal. Nov., epistula autem tertia data triduo ante (ep. 3, 3), i. e. a. d. XII. Kal. Nov.; quocum id congruit, quod Cicero dierum amplius quinquaginta intervallo nullas litteras a fratre acceperat; nam Caesaris ep. proxima ante ipsos L dies erat data, i. e. Kal. Sept., cf. ep. ad Qu. fr. III. 1, 7, 25.[3])

---

1) cf. ep. ad Qu. fr. III. 1, 5. 16.

2) vertam: da man ja (cum Bootio lego quoniam) zu der Einsicht kam, dass die Eroeffnung des Memmius dem Caesar nicht recht waere. — § 1 fin. pro: „lepidum quo excidat" legendum puto: „ne quidquam quo excidat."

3) cf. Bardt. l. l. p. 31 sq.; Bergk. l. l. p. 625.

Ep. ad fam. VII. 17: Cicero Trebatio Sal.
Schuetzius: scr. Romae mense Octobri a. u. c. 699.
Gruber: Sext.
Suepfle: scr. Romae mense Sextili a. u. c. 700.
Frey: im August 700.
Baiter: }
Wesenbergius: } scr. Romae mense Sextili a. u. c. 700.

Haec epistula, quae proxime post ep. VII. 9 ad Trebatium est data, cum post longius temporis spatium Cicero litteras ab illo accepisset,[1]) haud ita multo post superiorem scripta videtur, medio fere mense Oct., fortasse una data cum ep. ad Qu. fr. III. 3 (i. e. XII. Kal. Nov.), cuius verba extrema eadem fere sunt atque huius epistulae.

Ep. ad Qu. fr. III. 4.

Ep. a. d. IX. Kal. Nov. (§ 6 in.), ut videtur, mane scripta est, antequam Cicero fratris et Caesaris litteras,[2]) quibus Britannia confecta, expeditio finita nuntiabantur, accepisset: eas enim sibi modo redditas fieri non potuit ut silentio praeteriret. tamen paulo ante altera fratris epistula (fortasse propter commorationem tabellariorum[3]) sero) ei videtur allata, qua res imprimis privatae continerentur: his enim illum respondere putem in §§ 4 et 5.[4])

Ep. ad Att. IV. 18 (= IV. 16 §§ 9—12; **17** § 3 Or.).
Baiter: }
Wesenbergius: } scr. Romae exeunte mense Octobri a. u. c. 700.

---

1) cf. ep. VII. 9, 1.

2) cf. ep. ad Att. IV. 18, 5.

3) cf. Bergk. l. l. p. 625 adn. 1.

4) cf. § 4: „de versibus, quos tibi a me scribi vis, deest mihi quidem opera c. q. s.“; § 5: „de bibliotheca tua Graeca supplenda, libris commutandis, Latinis comparandis, valde velim ista confici — . . .; de suburbano, quod non properas, laudo“: de quo Quintus tum veram animi sententiam protulisse videtur, cf. ep. ad Qu. fr. III. 1, 7, 23.

Manutius, Drumannus (VI p. 69²) de die adscripto (§ 6) dubitaverunt, cum ludi non eo commissi essent, sed demum a. d. VI. Kal. Nov. (ludi Victoriae Sullanae ab a. d. VII. Kal. Nov. usque ad Kal. Nov. celebrabantur, cf. comm. diurn., C. I. L. I p. 405); editorum quantum video nemo eos secutus est, neque ipse intellego, cur non de ludis haud scio an ab homine quodam privato datis cogitari possit.

Litteras inter a. d. IX. K. Nov. (§ 5) et a. d. IIII.[1]) Non. Nov. (§ 4) datas esse apparet, sed quaeritur num tempus accuratius possit definiri. iam Grubero,[2]) cum eadem fere in ep. ad Qu. fr. III. 4 narrata essent, utraque epistula fortasse eodem die exarata videbatur; neque habeo, quod aliter sentiam. cum vero Cicero litterarum et studiorum mentionem faciat (§ 2; cf. ad Qu. fr. III. 5 et 6 § 1) ac domuum rurumque praedicet delectationem, epistulam in Tusculano scriptam arbitror, si non a. d. IX. K. at fortasse a. d. VIII. K. Nov.[3])

Ep. ad Qu. fr. III. 5 et 6.

Schuetzius: scr. in Tusculano exeunte mense Nov. a. u. c. 699.
Gruber: ex. Oct.
Hoffa: scr. in Tusculano exeunte mense Nov. a. u. c. 700.
Baiter: scr. in Tusculano mense Novembri a. u. c. 700.
Wesenbergius: scr. in Tusculano exeunte mense Oct. aut ineunte Nov. a. u. c. 700.

Ep. 6, quae olim ex paragrapho septima[4]) (quattuor tragoedias —, habes ad duas epistulas proximas) constabat, recte a Schuetzio superiori esse additam cum brevitate ostenditur tum verbis extremis: habes ad duas epistulas proximas. — ansam

1) hic verus dies esse videtur atque in ep. ad Qu. fr. III. 4, 6 restituendus; facilius enim vel in IIII numero una litterula potuit omitti vel in numero IV pars inferior evanescere (cf. p. 18 adn. 1: dies ille Th. Mommseno quoque probatur in actis triumphal. Capitol., C. I. L. I p. 460).

Mira est sententia Drumanni (VI p. 69[3]) in posteriore epistula Ciceronem accuratiorem diei notitiam habuisse putantis.

2) p. 9 ad ep. 149 fgm. c.

3) pro V. Id. Sext. (fin.), quo die Epheso proximae Attici litterae erant datae, nescio an legendum sit V Id. Sept.; videtur enim in iis Atticus aliquid de reditu promisisse (cf. § 5: . . si aut amor in te est nostri ac tuorum aut ulla veritas e. q. s.). ep. V Id. Sext. Epheso data ineunte mense Sept. Romam perferri poterat (cf. O. E. Schmidt l. l. p. 8). cum vero Cicero ep. ad Att. IV. 17 Kal. Oct. scriberet, ubi Atticus esset aut quid ageret plane incertus fuit: atque si V. Id. Sext. proximae Attici litterae Epheso essent datae, dierum amplius septuaginta intervallo nullae ab eo allatae essent, qua de re nescio an Cic. ipsius ostenturus fuerit admirationem.

4) uti nunc notatur.

definiendi temporis Bardtius [1]) mentionem Pansae [2]) putavit: qui cum eo anno apud Caesarem fuisset atque eius sententiam iam audisset Cicero, epistulam scriptam esse dies minimum triginta, postquam Gabinius in urbem reversus accusatus esset: sed nescimus, num re vera Pansa id temporis in Gallia fuerit, sane fuit anno post.[3]) at, ut ibi fuerit, scribere non potuit Gabinium a Cicerone defendi oportuisse, antequam de iudicio esset certior factus;[4]) quae epistula ante mensem Decembrem Romam afferri non potuit. contra hanc epistulam antea scriptam elucet. quapropter Haakhium [5]) malim sequi arbitratum, quo tempore hae litterae datae essent, adhuc in urbe versatum esse Pansam.[6]) — huc accedit, quod totus color epistulae is est, quo absolutio Gabinii modo facta demonstretur: inde eadem fere de re publica desperatio atque in ep. ad Att. IV. 18;[7]) praeterea ut in ep. 4 (§§ 4, 5), sic in his quoque litteris fratri scribit de versibus a se petitis, de bibliotheca supplenda (§§ 4, 6);[8]) quocirca hanc epistulam non multo post illas scriptam apparet, i. e. exeunte mense Octobri in Tusculano (cf. §§ 1, 2).

Ep. ad Qu. fr. III. 7.

Schuetzius: scr. in Tusculano exeunte Novembri a. u. c. 699.
Gruber: ex. Oct. aut in. Nov.
Hoffa: scr. in Tusculano exeunte m. Novembri a. u. c. 700.
Baiter: } scr. in Tusculano mense Novembri a. u. c. 700.
Wesenbergius: }

Magna inundatio in hac epistula narrata quamquam a C. Dione [9]) quoque memoratur, tamen quo tempore fuerit, accu-

1) l. l. p. 35. 2) § 5 in. 3) cf. ep. ad fam. VII. 12, 1.

4) antea scribendum fuit: ut Pansa putabat oportere.

5) apud Pauly. R. E. VI p. 2567.

6) is in epistulis ad Qu. fr. praeterea nusquam commemoratur.

7) § 2: amisimus . . . colorem et speciem pristinam civitatis e. q. s.; cf. ep. ad Qu. fr. III. 5 et 6 § 4: . . . angor nullam esse rem publicam e. q. s.

8) huc addas ep. ad Qu. fr. III. 4 § 3: ego vero hac mediocritate delector e. q. s.: ep. 5 et 6 § 5: tenui me, ut puto, egregie, tantum ut facerem, quantum omnes viderunt. — ep. 4 § 5: de fisco quid egerit Scipio, quaeram . . .; ep. 5 et 6 § 6: ab aerario puto confectum esse, dum absum.

9) 39, 61.

rate explicari non potest, cum ab illo res exeunte anno 700 factae tam perverso ordine sint traditae, ut quicquam certi indagari vix posse videatur. narrat autem id diluvium factum esse, antequam Gabinius in urbem rediisset, Romanosque, quo minoribus a dis iratis afficerentur malis, Gabinium adhuc absentem morte multare decrevisse: illud tamen manifesto apparet causam illam cum inundatione vulgo coniunctam esse:[1]) quod eo facilius fieri poterat, quo propius aberat iudicium.[2]) quae cum ita sint, non dubito cum L. Langio[3]) epistulam exeunte mense Octobri scriptam putare, cum Cicero adhuc in Tusculano versaretur (§ 2 in., cf. ep. 4 § 6). itaque verba „ἤματ᾽ ὀπωρινῷ“ proprio sensu licet intellegere.

Ep. ad Att. IV. 19 (= IV. 17 § 1; 18 § 3 Or.).

Baiter: } scr. Romae exeunte mense Novembri a. u. c. 700.
Wesenbergius: }

Ansam temporis definiendi praebent verba haec (§ 2): „. . hiberna legionis eligendi optio delata (sc. Quinto) commodum, ut ad me scribit.“

Caesar, ne tempestatibus a navigatione excluderetur, se ante aequinoctium in Galliam exercitum reportasse tradidit.[4]) aequinoctii autem dies fuit 25. Sept. anni Iuliani, i. e. secundum computationem

---

1) cf. ep. ad Qu. fr. III. 7 § 1.

2) hoc quodammodo eo probatur, quod Dio (39, 62. 63) prodidit Pompeium, quo tempore prius Gabinii iudicium exerceretur, frumenti causa Roma afuisse, quia permultum inundatione esset corruptum. tamen eum ad urbem fuisse apparet ex ep. ad Qu. fr. III. 4 § 1 fin. et § 2. Dionem secuti sunt Drumannus (IV p. 527) et L. Lange (III² p. 356). sed Dionis fides vel inde suspectior fit, quod (c. 62) Ciceronem in Gabinium acerbissime invectum esse tradidit, qui tamen ipse dicit (ad Qu. fr. III. 9, 1; 4, 3): testem quidem se vehementem fuisse, neque tamen ursisse reum neque levasse. re vera Pompeius postea nescio an frumenti in urbem comportandi causa Roma afuit (cf. ep. ad Qu. fr. III. 9, 3).

3) III² p. 341.

4) b. G. V. 23; Quinti et Caesaris litteras, quas Cicero a. d. IX. Kal. Nov. accepit (ad Att. IV. 18, 5), nos quoque a. d. VI. Kal. Oct. ex Britannia datas arbitramur, cf. Zumpt. (Jahrb. f. cl. Philol. Supplbd. VII p. 564 sq.), Unger. (Neue Jahrb. etc. CXXIX p. 586).

Ideleri,[1]) Korbii[2]): XI. Kal. Nov. anni a. u. c. 700.
Zumptii,[3]) Bergkii,[4]) Matzatii[5]): X. Kal. Nov.
Ungeri[6]): XII. Kal. Nov.
chronologi Gallici Napoleontis[7]): pr. Kal. Oct.

Vix igitur dubitabimus, quin transmissio paulo ante Id. Oct. facta sit. hic alicuius momenti est, quando fere Iulia supremum diem obierit, quod Plutarcho[8]) auctore litterae de filia mortua patri ex Britannia redeunti afferebantur; eam autem decessisse diximus[9]) ineunte mense Sept., epistulam igitur illam ineunte mense Oct.[10]) in eam Galliae partem allatam esse verisimile est, quae ad Britanniam vergit. licet ibi litterae tempestatibus coortis[11]) nonnullos dies sint retentae, dum Caesari paucis ut videtur diebus ante Id. Oct. in continentem redeunti traderentur. — concilio Gallorum Samarobrivae peracto Caesar frumenti causa legiones in plures civitates distribuit; Quinto Ciceroni legionem (ex optione) in Nervios ducendam dedit.[12]) quo facto Quintus eam dedit epistulam, qua fratrem de Caesaris erga se benignitate certiorem fecit.[13]) quae si recte exposita sunt, exeunte fere mense Octobri in hiberna perventum est, ut nuntius de rebus illis exeunte mense Nov. Romam perferretur. paulo post epistulam scriptam esse ex eis, quae ante dixi, verbis apparet.[14])

Ep. ad Qu. fr. III. 8.

Schuetzius: scr. Romae exeunte Nov. a. u. c. 699.
Gruber: ex. Nov.
Hoffa: scr. Romae exeunte m. Nov. a. u. c. 700.
Baiter: }
Wesenbergius: } scr. Romae exeunte mense Nov. a. u. c. 700.

Quae modo de antecedentis epistulae tempore disputavi, hic quoque valent; Tullium autem haud ita multo post epistulas

1) l. l. II p. 116. 2) l. l. p. 174. 3) l. l. p. 597. 4) l. l. p. 614. 5) l. l. I p. 70. 6) l. l. p. 586. 7) l. l. p. 539. 8) Caes. 23. 9) p. 53 sq. 10) cf. p. 49 adn. 1. 11) b. G. V. 23. 12) ib. c. 24. 13) cf. ep. ad Qu. fr. III. 8, 2 fin.

14) Bergk. l. l. p. 626 adn. 1 ep. mense Novembri (anni Iuliani) scriptam putat: cui id obstat, quod ep. ad Qu. fr. III. 8 eodem fere tempore scripta certe exeunte mense Nov. anni 700 est data.

(cf. in.) a fratre acceptas rescripsisse inde probabile est, quod Quinti epistulam primam Labieno datam nondum acceperat: respondet tertiae, in qua, quo animo Caesar nuntium de filia mortua accepisset, erat scriptum.[1] — haec autem epistula post a. d. VIII. Kal. Dec. scripta est,[2] quo fere tempore Ciceroni litteras fratris allatas esse diximus (p. 60): paulo post eam datam esse ex eis, quae ante exposui, elucet, i. e. exeunte mense Nov.; quaenam supplicationes illae fuerint, quarum mentio fit (§ 3), plane incertum.

Ep. ad fam. VII. 16: Cicero S. D. Trebatio.

Schuetzius: scr. Romae exeunte Sept. a. u. c. 699.
Gruber: Nov.
Suepfle: scr. Romae mense Octobri a. u. c. 700.
Baiter tempus non definivit.
Wesenbergius: scr. Romae (mense Novembri) a. u. c. 700.

Quo tempore Cicero hanc epistulam conscribebat, iam scivit Trebatium Samarobrivae hibernaturum (§§ 1, 3). qua de re exeunte mense Nov. una cum Quinti litteris certior factus videtur. epistulam igitur scriptam arbitror, quo fere tempore ep. ad Qu. fr. III. 8 exarata est, i. e. exeunte mense Nov.; huc quadrat, quod Trebatius tum, cum Cicero hanc dedit epistulam, ad ep. VII. 9, 3 de Octavio iam respondisse videtur.[3]

Ep. ad fam. I. 9: M. Cicero S. D. P. Lentulo Imp.

Schuetzius: scr. Romae mense Sept. a. u. c. 699.
Gruber: Oct. ex.
Suepfle:, Baiter:, Wesenbergius: } scr. Romae mense Octobri exeunte a. u. c. 700.

Rescribit Cicero Lentuli litteris, quibus is ostenderat scire se velle, quibus de causis Vatinium defendisset; quod factum est exeunte mense Sextili.[4] cum vero centum fere dierum spatium interiectum esse necesse sit,[5] Lentuli epistula ante

1) § 3 in.; ea ep. prima, postquam Caesar de Iulia mortua certior factus est, ad Cic. missa videtur.

2) cf. § 5. 3) cf. Gruber. p. 8. 4) p. 49, cf. p. 52. 5) cf. p. 24 adn. 5.

ineuntem mensem Decembrem Ciceroni reddi non potuit: eum nonnullis diebus post respondisse eo verisimile fit, quod et ad tam longam epistulam exarandam plures dies opus erant et ea iam exarata alterae e Cilicia afferebantur litterae (§ 26). quapropter medio fere mense Decembri epistulam datam arbitror; praeterea eam anno iam vergente scriptam esse ex § 25 intellegitur: quae enim Cicero de Appio Lentulo successuro[1]) scribit, cui ut sine ulla mora provinciam concedat amicum adhortatur, consulatus finem haud ita multum abesse ostendunt.

Ep. ad Qu. fr. III. 9.

Schuetzius: scr. Romae initio Decembr. a. u. c. 699.
Gruber: ex. Nov.
Hoffa: scr. Romae in. mense Dec. a. u. c. 700.
Baiter: scr. Romae exeunte mense Novembri a. u. c. 700.
Wesenbergius: scr. Romae mense Decembri a. u. c. 700.

Hac epistula sine dubio Cicero respondet fratris litteris, quibus is Gabinium maiestatis accusatum defendendum fuisse scripserat, videlicet ep. h. l. 4 accepta (data IX. Kal. Nov.). epistula illa ante Id. Dec. Romam perferri vix potuit. Tullium autem paulo post hanc epistulam dedisse inde manifestum, quod Gabinium de repetundis hoc ipso mense a se defensum iri adhuc non modo nescit, sed etiam prorsus inauditum arbitratur (cf. in.). praeterea post Gabinium hoc mense etiam pro C. Rabirio Postumo dixit. — Hirrus (cf. § 3 fin.) igitur paucis diebus ante (a. d. IV. Id. Dec.) tribunus plebis erat factus.

Ep. ad fam. VII. 10: Cicero S. D. Trebatio.

Schuetzius: scr. Romae mense Sextili a. u. c. 699.
Gruber: Dec.
Suepfle: scr. Romae mense Decembri a. u. c. 700.
Frey: der Brief ist zu Ende des Jahres geschrieben, als Caesar bereits die Winterquartiere bezogen hatte.
Baiter: }
Wesenbergius: } scr. Romae mense Decembri a. u. c. 700.

1) cf. ep. ad Qu. fr. III. 2, 3; ad Att. IV. 18, 4 fin.

Epistula hieme scripta est (§ 2), cum novi tumultus in Gallia mense Novembri exorti[1]) nuntius Romam perlatus esset,[2]) atque propter id ipsum post ep. ad Qu. fr. III. 9 data, i. e. exeunte mense Decembri.

Ep. ad fam. I. 10: M. Cicero S. D. L. Valerio Iurisconsulto.

Schuetzius: scr. Romae a. u. c. 699.

Gruber: scripta ep. Lentulo etiamtum Ciliciae procos., sed quo anno ex tribus illis (698 –700) incertum.

Baiter:
Wesenbergius: } scr. Romae mense Decembri a. u. c. 700.

L. Valerius iurisconsultus idem est, qui Appio proconsuli Lentulo in administranda provincia Cilicia anno 701 succedenti commendatur;[3]) eundem esse eum, qui in ep. VII. 11, 2 sodalis Trebatii et Ciceronis appellatur, Manutius contendit. alibi nusquam commemoratur.

Quo tempore (sub Lentulo provinciam administrante) haec epistula data sit, certo quodam argumento, quantum video, diiudicari nequit. Baiter et Wesenbergius, cum mense Decembri epistulam scriptam adnotarent, fortasse sumpserunt Romae L. Valerium fuisse, cum Cicero ep. ad Trebatium VII. 11 (ante mensem Martium a. u. 701 Wesenbergio auctore) scriberet: quod an non verisimile sit, haud scio, scio esse plane incertum; vel ordine epistularum (l. I) temporum ratione habita conformato freti post antecedentem hanc ep. scriptam esse putaverunt: non sine veri specie, quod et re vera Valerium iam diu Roma afuisse ex ipsa epistula apparet neque epistulae post annum 700 scriptae primo libro ullae continentur. tum quis verba: „cum his temporibus audacia pro sapientia liceat uti" ad Appii facinus[4]) referat. certi quicquam, ut dixi, vix poterit investigari.

Schuetzius, Drumannus,[5]) Frey, Wesenbergius epistulas ad Tironem l. XVI. 10, 13, 14, 15 hoc anno scriptas arbitrantur, quod verisimile sit Quintum, cum Caesaris esset legatus,

1) Caes. b. G. V. 26 sq.

2) cf. § 2: quamquam vos nunc istic satis calere audio.

3) ep. ad fam. III. 1, 3. 4) cf. p. 62 adn. 1. 5) VI p. 406.

ep. XVI. 16 dedisse: equidem non crediderim Tullium mense Aprili (nam hoc mense ep. 10 scripta videtur, non Maio, ut Wesenbergius opinatur) solum in Cumano fuisse neque ullam mentionem fecisse fratris, qui ineunte mense Maio[1]) se in Galliam esset collaturus.

Epistulae, quas anno 701 a. u. c. Cicero Trebatio potissimum dedit, quando sint scriptae explicare et a proposito nostro alienum est neque eae sunt, quibus neglectis superiores non possint intellegi: contra rerum publicarum sunt omnes plane inanes.

---

1) cf. p. 40.

Tabula I.

A. a. u. c. 697 (= a. C. 57).

Ep. ad Att. IV. 1	scripta Romae	ca. VIII. Id. Sept.	cf. p. 6.
2		ca. IV. Non. Oct.	8.
3		VIII. K. Dec.	9.
Qu. fr. II. 1		(Id. vel) postr. Id. Dec.	9.
Gallum VII. 26	in Tusculano	inc. temp. (post VII. Id. Sept.)	10.

A. a. u. c. 698 (= a. C. 56).

Ep. ad Lentulum I. 1	scripta Romae	Id. Ian.	10.
2. 3. 4		XVI. K. Febr.	11.
Qu. fr. II. 2		XIV. K. Febr.	12.
Att. IV. 4a		III. K. Febr.	12.
Lentulum I. 5a		inter IV. Non. et VIII. Id. Febr.	12.
5b		VI. vel V. Id. Febr.	13.
6		paulo post	14.
Qu. fr. II. 3a		pr. Id. Febr.	15.
3b		XV. K. Mart.	15.
Att. IV. 4b	Antii	exeunte Febr.	15.
5		ex. Febr. (ineunte Mart.)	15.
Qu. fr. II. 4	Romae	ex. Mart.	17.
5a		VII. (VI.) Id. Apr.	19.
Lucceium V. 12	in Tusculano	V. vel IV. Id. Apr.	19.
Qu. fr. II. 5b		III. Id. Apr.	19.
Att. IV. 6	in Arpinati	ca. Id. Apr.	19.
7		paulo post	21.
8a	Antii	ca. Id. Maias	21.
Qu. fr. II. 6	Romae	paulo post XVII. K. Iun.	22.
Lentulum I. 7		ex. Quint.	23.
Att. IV. 8b	in Tusculano	ca. Id. Nov.	26.
Lentulum I. 8	Romae	(ex.) Dec.	27.
Qu. Valerium XIII. 6a et b		inc. temp.	25.

A. a. u. c. 699 (= a. C. 55).

Ep. ad	Qu. fr. II. 7	scripta Romae	ca. pr. Id. Febr.	cf. p. 27.
	Att. IV. 10	in Cumano	X. K. Maias	
	9	Neapoli	VIII. K. Maias	29.
	11	in Cumano	V. K. Maias.	
	Qu. fr. II. 8	(ibidem?)	ineunte Maio	31.
	Att. IV. 12	Antii	exeunte Maio	32.
	Marium VII. 1	Romae	Oct.	33.
	Att. IV. 13	in Tusculano	XVI. K. Dec.	35.
	Qu. Ancharium XIII. 40	Romae	inc. temp.	35.

A. a. u. c. 700 (= a. C. 54).

Ep. ad	Qu. fr. II. 9	scripta Romae	III. Id. Febr.	
	10		Id. Febr.	36.
	11		postr. Id. Febr.	
	Caesarem VII. 5		Apr.	37.
	Att. IV. 14	in Cumano	ca. Id. Maias	38.
	Qu. fr. II. 12		ca. X. K. Iun.	39.
	Trebatium VII. 6		ex. Maio	40.
	Qu. fr. II. 13	Romae	ca. Non. Iun.	41.
	Treb. VII. 7		ex. Iun.	42.
	Att. IV. 16		Kal. Quint. vel postr.	44.
	Qu. fr. II. 14		paulo ante VI. K. Sext.	46.
	Att. IV. 15		VI. K. Sext.	46.
	Treb. VII. 8		ex. Quint.	47.
	Qu. fr. II. 15		ca. III. K. Sept.	47.
	Crassum V. 8		ex. Sext.	51.
	Qu. fr. III. 1	partim Arpini, partim	Romae, data III. K. Oct.	52.
	Treb. VII. 9	Romae	eodem temp.	54.
	Att. IV. 17		K. Oct.	54.
	Qu. fr. III. 2		V. Id. Oct.	55.
	3		XII. K. Nov.	55.
	Treb. VII. 17		eodem temp.	56.
	Qu. fr. III. 4		IX. K. Nov.	56.
	Att. IV. 18	in Tusculano	ca. VIII. K. Nov.	56.
	Qu. fr. III. 5 et 6		ex. Oct.	57.
	7		ex. Oct.	58.
	Att. IV. 19	Romae	ex. Nov.	59.
	Qu. fr. III. 8		ex. Nov.	60.
	Treb. VII. 16		eodem temp.	61.
	Lentulum I. 9		ca. Id. Dec.	61.
	Qu. fr. III. 9		paulo post	62.
	Treb. VII. 10		exeunte Dec.	62.
	Valerium I. 10		exeunte Dec.	63.

Tabula II.[1]

A. a. u. c. 698 (= a. C. 56).

Ep. ad Lentulum I. 2. 3. 4 vitio divulsae una datae sunt XVI. K. Febr. cf. p.	11.
Ep. ad Att. IV. 4b et 5 non, ut vulgo putantur, mense Apr. sed Febr. exeunte vel ineunte Martio Antii scriptae sunt	15.
Oratio pro M. Caelio Rufo habita est pr. Non. Apr.	18.
Ep. ad Lucceium V. 12 scripta est in Tusculano a. d. V. vel IV. Id. Apr.	19.
Ep. ad Att. IV. 8b scripta in Tusculano ca. Id. Nov.	26.
Ep. ad Lent. I. 8 scripta Romae (ex.) Dec.	27.

A. a. u. c. 699 (= a. C. 55).

Ep. ad Qu. fr. II. 7 certe mense Febr. (ca. pr. Id.) Romae scripta est	27.
Ep. ad Att. IV. 10 scripta est in Cumano X. K. Maias 9 Neapoli VIII. K. Maias 11 in Cumano V. K. Maias	29.
Oratio in Pisonem habita, theatrum Pompei dedicatum videtur mense Oct.	33.

A. a. u. c. 700 (= a. C. 54).

Quintus Cicero ad Caesarem profectus est ineunte mense Maio	40.
Asconius (K.-S. p. 17, 2) errans scripsit Scaurum repetundarum postulatum esse pr. Non. Quint. pro pr. Kal.	44.
Caesar in Britanniam navigavit ca. VII. K. Sext.	48.
rediit paulo ante Id. Oct.	60.
Cicero Vatinium defendit exeunte mense Sext.	49.
eodem fere tempore pro Crasso in senatu dixit	52.
Oratio pro Cn. Plancio habita est ca. Non. Sept. (ludis Romanis)	49.
Ep. ad Att. IV. 17 § 1 emendatur	55.

1) hac tabula composui, quidquid praeter cetera dignum duxi memoratu eorum, quae hac mea dissertatione probare studui.

VITA.

Augustus Aemilius Koerner in oppido Saxoniae, cui nomen est Lengenfeld, pr. Id. Iul. anni h. s. LX natus sum patre Carolo Aemilio, matre Minna e gente Fritzsch, quibus adhuc vivis vehementer gaudeo. fidei addictus sum evangelicae. primis litterarum rudimentis in oppido patrio imbutus, cum anno LXXIII parentes Dresdam transmigrassent, inde ab eo anno gymnasium, quod est „ad Aedem Sanctae Crucis“, Hultschio rectore per octo annos frequentavi; quem et ipsum et ceteros praeceptores optime de me meritos esse grata memoria teneo semperque tenebo. deinde anno LXXXI maturitatis testimonium adeptus Lipsiam me contuli, studiis philologicis ut me dederem. per octies sex semestria spatia audivi viros doctissimos hosce: Curtium, Eckseinium, Heinzium, Hirzelium, Langium, Lipsium, Ribbeckium, Struempellium, Voigtium, Windischium, Zarnckium. ut exercerem vires, per ter sex menses proseminarii philologici Lipsio praeside atque per idem temporis spatium seminarii, cui praeerant Curtius, Langius, Ribbeckius, sodalis fui ordinarius. praeterea interfui per duos annos societati philologicae Ribbeckianae, per senos menses seminario Germanico Zarnckii, historico Gardthauseni; adhuc Langii societati antiquariae Romanae, Lipsii Graecae, Ecksteinii seminario paedagogico, exercitationibus a Fr. Hansseno institutis operam do. quibus magistris meis cum omnibus, tum L u d o v i c o L a n g i o, viro singulari erga me benevolentia, quo non modo auctore, sed etiam fautore atque adiutore humanissimo hunc libellum composui, quas debeo, gratias ago maximas et agam etiam atque etiam.

Haec cum ineunte anno scripsissem, ante has paucas hebdomades L u d o v i c u s L a n g i u s, praeceptor noster praeclarissimus atque carissimus, atroci morte nobis est ereptus: qui vir fuerit atque magister, amici atque discipuli scimus, qua doctrina, quicumque se profitetur philologum.

Bryn Mawr 2/4/38

[redacted]

Bryn Mawr 2/4/38